

**(509) DE MATERIIS METISQUE  
SCIENTIARUM, ET ERRORIBUS  
PHILOSOPHIAE, IN REBUS DIVINIS.  
FLACIO ILLYRICO AUTHORE.<sup>1</sup>**

I. COR. II.

Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Stulticia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter diiudicantur. At spiritualis diiudicat quidem omnia, ipse vero a nemine diiudicatur. Quis enim cognovit mentem Domini, qui consilium daturus sit illi? Nos autem mentem Christi tenemus. Sic et Baptista dicit: Qui e terra venit, terrenus est, et terrena loquitur, qui e coelo est, coelestia loquitur.

LECTORI.

Sequens libellus de metis scientiarum et erroribus philosophiae ac rationis in theologiae...pertinet ad doctrinam de originali peccato et libero arbitrio. Hic enim...experientia ac rerum usu in rebus ac exemplis longe amplissimis cor....

**(510) DE METIS THEOLOGIAE ET HUMANARUM  
SCIENTIARUM**

Variae subinde lites inter eruditos de suarum scientiarum, ac veluti possessionum finibus exoriuntur, dum nemo non vel errore, vel etiam ambitione suum regnum latius extendere conatur. Alias enim theologi<sup>2</sup> forum ac politiam et ius, alias contra politici Ecclesiam ac religionem suo arbitrio occupare atque regere conantur. Eaedem lites et theologis cum philosophis subinde existunt. Olim Papa, sub praetextu religionis, utrunque gladium sibi rapuit. Nunc contra potentes non contenti suo gladio, etiam Ecclesiam, doctrinam et claves pro arbitrio regere volunt. Taceo iam, quod fanatici quidam, ut

<sup>1</sup> Ovdje se radi o tekstu što je otisnut u zborniku: *Disputatio de originali peccato et libero arbitrio inter Matthiam Falacium Illyricum et Victorinum Strigelium*, 1563., str. 509-548., koji je novo, prošireno izdanje u odnosu na ono iz 1562., što ga je izdao Musaeus pod istim naslovom. Baselsko izdanje ovog djela iz 1561. nosi naslov *De materiis scientiarum et erroribus philosophiae in rebus divinis M. Theophilo Autore*. Prema Wilhelmu Pregeru (*Matthias Flacius Illyricus und seine Zeit* 2, Hildesheim 1964., pretisak izdanja iz Erlangena 1859-1861), str. 560., Simler smatra da je prvo izdanje izišlo 1558. u Jeni, za što, prema mojim saznanjima, nema dokaza. Razlog obrade, prevođenja i komentiranja teksta upravo ovog izdanja leži u tome, što je on mjestimice, doduše minimalno, dopunjen i korigiran u odnosu na onaj iz 1561., pa se čini da bolje odgovara Vlačićevoj intenciji.

<sup>2</sup> Tekst u prijepisu gotovo u potpunosti odgovara originalu, iako to nije uvijek u duhu latinskog jezika. No, tamo gdje je očita tiskarska, interpunkcijska ili druga pogreška, što smisao čini nejasnim, provedena je korekcija. Budući da Vlačić za iste pojmove neujednačeno rabi mala i velika slova, ta je neujednačenost uklonjena.

anabaptistae et seditiosi rustici, ac alii, sub praetextu religionis, politias occupare, et ex Moyse ius dicere in iudiciis politicis voluerunt.

Eodem pertinet, quod et alias quidem vel imperiti vel semifanatici theologi, bonas artes et philosophiae studia, tanquam vel communi vitae vel certe theologiae ac Ecclesiae parum utilia aut necessaria contemnant, alias vero contra philosophi, aut philosophotheologi, nimium sibi suoque acumini tribuentes, ex philosophia ac ratione Deum agnoscere, homini verum officium et bene beateque vivendi rationem praescribere, veram ad summam felicitatem viam commonstrare, plurima in sacris et theologia ad humanum captum attemperare, ac in summa novam quandam theologiam, ut sophistae et sorbonistae fecerunt, exculpere conantur, quin et suos quosdam praeceptores aut duces in coelum sine Christo collocare et (ut loquuntur) canonizare volunt.

Hinc tum in communi vita perturbatio, tum artium, praesertimque theologiae depravatio aut neglectio oritur, tum et liberum arbitrium, humanaque corruptio aut caecitas nimium foede ac pernitiouse obscuratur. Inde enim et ipsius medici aut luminis neglectio consequitur.

Ut igitur huic multiplici pesti resistatur, et simul epicureo cuidam rabolae Nassenfeldio, qui publice declamitaverat, veram veri Dei cognitionem et virtutes ad invocationem necessarias haberi posse, respondeatur: Primum artium sacrarum et prophanarum terminos distinguemus. Deinde et quam multipliciter philosophia ac humana ratio circa res divinas hallucinetur, piosque, si incautiores sint, in errorem inducat, ostendemus, quod Paulus Col. 2. caveri iubet.

Ad constituendos ergo artium scientiarumque, prophanarum simul **(511)** et sacrarum terminos aut materias, circa quas singulae versentur, utile est considerare totam rerum naturam per quattuor primarias causas, secundum quas pleraque distribui solent, efficientem, materialem, formalem et finalem, ut sicut singulis rebus quattuor istas causas tribuimus, ita et huic universo operi generaliter, crassoque quodam modo tribuamus. Nam et rem tum demum scire dicimur, cum eam per causas tenemus, et haec ipsa causarum distributio commoditatem distribuendi obiecta suppeditabit.

Efficiens est, Deus conditor, rector et servator. Materialis est, illa rudis indigestaque moles, seu chaos, prima die creata. Agetur postea etiam de specialiori materia singularum rerum, non tantum de hac universali aut generali. Formalis est tota essentia aut aedificium totius mundi et singularum creaturarum, sive a Deo naturave, sive etiam ab hominis industria arteque aut consilio effectarum aut perfectarum, praesertim autem homo mundi dominus, et imago Dei. Finalis causa est, officium hominis erga Deum, salus hominis, et gloria Dei.

De primaria efficiente et ultima causa, in hac corrupta natura nulla humana sapientia vere ac constanter quicquam novit aut disserit, quod in sequenti tractatu de humana sapientia prolixius ostendam. Sed

solus Deus se simul et ultimum finem seu scopum hominis, et totius mundi, humano generi verbo suo seu theologia patefecit, quod postea clarius exponetur.

De prima materiali causa et inchoatione universi nihil dici potest a philosophia. Tantum vero theologia affirmat, primum nullam fuisse causam materialem, postea Deum quandam rudem, vacuum, inanem et confusam molem ex nihilo creasse, ex qua demum extruxerit universa. Contra philosophia sentit, vel totum mundum esse aeternum vel certe eius materialem causam, quod ethnici chaos vocavere. Sed accipiemus hanc vocem postea in specie de singularum rerum materia, de qua quidem philosophia multa praeclare disserit.

De causa formali mundi plenius humanae scientiae et artes docent, nam theologia pauca ibi, creationem exponens attingit, excepto homine, quatenus est imago Dei aut diaboli, de quo multum agit, ut postea clarius dicetur. Haec autem ut dilucidius pateant, omnia ordine per partes declarabo.

In hac universa mundi forma tria sunt potissimum consideratu et cognitu digna: Coelum, seu tota aetherea moles, elementa, et quae in eis sunt, sive naturalia sive artificialia, et denique homo, omnium possessor ac frutor.

Coelum contemplatur astronomia et astrologia, terram et aquas, **(512)** quoad externam figuram attinet, describit cosmographia et geographia. Elementa, et inde confecta, eorumque varias effectiones et qualitates, in genere declarat physica, sed in specie, ea quidem sunt in aere meteorologia, ea vero, quae in aqua et terra sunt simplicia ac naturalia, medicina cum suis pedisequis. De artificialibus ac voluntariis suae sunt artes, quae praecipiant.

Ultimum et summum humanarum scientiarum obiectum est homo, qui potissimum tripliciter consideratur: secundum vitam physicam, civilem, et theologicam aut divinam.

Primum, quatenus vivit hanc naturalem vitam, communem cum brutis, de ea eique utilibus aut noxiis medicina, et multae illiberales quoque artes disserunt atque agunt.

Secundo, quatenus vero vivit vitam civilem, et consideratur ratione magistratus sui, et communis societatis seu proximi (de qua vita in genere philosophia moralis, docens de politia, legibus et moribus) in specie ius agit. Totius tamen moralis philosophiae fundamentum est Decalogus, quem philosophia ac ius in quibusdam partibus, praesertim quod ad secundam tabulam attinet, latius explicat, et ad circumstantias applicat.

Tertio, vita hominis divina aut spiritualis est, qua se erga Deum recte aut minus gerit, de qua proprie theologia disserit.

Denique quia homo sermonis proponendi et accipiendi, sensaque sua aliis communicandi facultatem et usum habet, quae facultas omnium trium vitae hominis generum, praesertim autem

posteriorum duorum commune instrumentum est, de hac eius facultate, deque tota ratione disserendi agit gramatica, dialectica et rhetorica.

Porro, quia omnia fecit Deus in numero, pondere ac mensura, nec quicquam homo sine omni horum ratione aut respectu nosse, eove recte uti potest, ideo arithmetica et geometria accedit, quae omnia tum numerat, tum metitur, tum eorum ordinem considerat per omnes materias ac artes.

De hisce igitur, quae dixi, agit, disserit ac disputat philosophia, seu universa hominis sapientia, nec extra hosce limites, ob corruptionem ac veluti caecitatem humani intellectus, cum aliquo fructu evagari potest. Tametsi et in hisce crebro gravissimeque hallucinetur et impingat ob inscitiam primae ac ultimae causae, ex quibus necessario et harum rerum natura cognitioque dependet.

Dictu vero mirum est, quod in hisce ipsis rebus ac scientiis, quanto quaeque Deo quasi vicinior est, praestantior ac homini utilior, tanto magis in ea ob corruptionem nostram caecutiamus, tantoque incertior esse videatur, qualis in primis est philosophia moralis, ac eius propago ius. **(513)** Secundum locum incertitudinis ac instabilitatis obtinet medicina.

Ultimo, quae remotissimae scientiae a Deo ac summa hominis utilitate videntur esse, nempe arithmetica et geometria, eae sunt omnium certissimae in suis multiplicibus ac praeclaris quidem illis, sed non adeo extreme homini necessariis (ut aliarum scientiarum materiae sunt) theorematibus. Quod si fuisset natura integra, ut initio est condita, tam nobis lucerent ac fulgerent hae sententiae: Unus Deus est colendus; Parentes sunt honorandi; Non est scortandum; Proximus non est laedendus, quam illae: Bis quattuor sunt octo, aut totum est maius qualibet sua parte.

In hac igitur tanta temporum longitudine, in tanta etiam summorum ingeniorum copia atque solertia, in ista infinitorum librorum numerositate, cum innumera et eximia praeclarissime ac eruditissime inventa explicataque sint, duae tamen illae primariae causae summa efficiens, et ultima finalis, seu Deus, et aeterna felicitas, inexplicatae, immo et incognitae homini manserunt, mansissentque in aeternum, nisi Deus denuo ingenti misericordia nobis, in tenebris ac umbra mortis sedentibus, eas patefecisset exposuissetque, tum verbo, tum Spiritu suo.

De causa igitur efficiente et finali ultima, sola theologia vere disserit. Nam etiamsi aliquando philosophi, vel verae doctrinae sententiis in orbem terrarum sparsis edocti, vel evidenti ordine causarum ad primam aliquam omnipotentem deducti, vel etiam verisimili divinatione ab optima imperii forma sub uno sapientissimo monarcha persuasi, aliquid de uno Deo, eiusque providentia dixerunt, tamen id ita inconstanter ac lubriciter proposuerunt, ut mox, veluti fugientes hostem, sese inde proripuerint. Unde facile apparet, eos nullam certam ea de re sententiam habere. Quod satis vel solius

Ciceronis libri De natura deorum, cum de aliis praeclarissimis philosophis, tum et de ipsomet suo authore contestantur.

Sola igitur doctrina coelestis docet, quis sit verus Deus, nempe, quod sit mens aeterna, sapiens, omnipotens, essentia una et personis trina. Quae sit item eius voluntas, quod quando et quomodo totum mundum, et hominem quaque conditione creaverit et liberaverit. Observandum vero hic est, ut hoc obiter moneam, nos voce causa formalis nonnihil crassius ac liberius uti, simul et materialem, ex quibus singulae res constent, comprehendentes. Vocamus enim causam formalem, quicquid quoquo modo ad depingendam aut exprimendam formam statumque huius mundi, sive sit visibile, sive invisibile, faciat, ne quis nos proprie angusteque hac voce uti putans, ut physici utuntur, a veritate sententiaque nostra aberret.

**(514)** De causa formali quoque mundi aliquid in ipsa creationis descriptione doctrina coelestis dicit, dum omnes partes eius distribuit, dumque singulis suam quandam vim existendi et agendi, suas functiones a Deo inditas affirmat, ut coelo ac luminaribus, lucendi et tempora distribuendi, item aquis ac terrae, producendi et alendi pisces, arbores et herbas, et animalibus et animantibus suam speciem propagandi, sic et aliis rebus suas vires.

Disserit et in eo theologia de causa formali, quod dicit, omnia mirifica Dei providentia regi, foveri ac conservari: Omne bonum a Deo creaturis dari ac foveri. Et denique omnes in universum causas ab hac vivificari, eiusque vi agere ac efficaces esse, sine quo, aut ab eo destitutae, sint vel mortuae ac inanes, vel etiam noxiae. Quod quidem philosophiae parum notum, aut etiam verisimile est.

Item dum exponit, in quam praeclara forma aut statu homo initio sit conditus, nempe ad imaginem Dei, ut ei perfectissime obediens, iusticia lucens, ac vera vita fruens, ipsi aliquo modo similis esset, et totius mundi dominio et paradisi amoenitate, una cum omnibus posteris, in summa felicitate, citra omne malum, molestiam aut mortem perfrueretur, et denique etiam in aeternum consortium familiaritatemque Dei, et summam illam felicitatem vitae aeternae traduceretur.

Item, dum docet, totum hoc aedificium mundi, et quae in eo fuerunt initio bona, et in summa quadam *eutaxia* seu harmonia, sine malo ac confusione esse condita. Quae omnia philosophia penitus ignorat, nisi quod poetae per iocum de primo illo aureo regno fabulentur, quia vident subinde omnia fieri deteriora, mundo ad finem tendente.

Pertinet et hoc ad formam mundi, quod Scriptura docet, praeter hominem, etiam alias quasdam rationales creaturas a Deo in suum ministerium aut famulitium, et hominis utilitatem conditas esse, quae sint spirituales, vocenturque angeli, careant corpore, propagatione, alimento et aliis corporeis, quarum pars a Deo, iusticia et veritate defecit, Deoque est facta inimica, constituta propria quadam politia aut regno, qua de causa est etiam aeternis cruciatibus addicta. Altera vero

pars illarum spiritualium creaturarum in iusticia cultuque Dei perseveravit, quae etiam in eo, totaque sua integritate est confirmata. Quae duae diversae angelorum partes, spiritualesve naturae sibi invicem infestae, pugnantesque multa in mundo agunt, movent et perturbant, aut etiam in melius referunt, ut postea clarius dicetur. Quae itidem omnia philosophiae sunt ignotissimae. Continet vero procul dubio immensam sapientiam, nec in ipsis quidem sacris literis hominibus satis patefactam, quandoquidem non adeo necessaria est nobis plenior eius revelatio.

**(515)** Docet item theologia, quod in hac prima mundi forma ubique Deus fuerit omnia in omnibus, ubique summa Dei sapientia, bonitas ac omnipotentia refulserit, ubique nomen eius sanctificatum, ubique eius voluntas sit facta, sicut iam in coelo, eiusque coelesti regno resplendeat, eique obediatur.

Nec tantum illam felicem pulcherrimamque formam mundi ac humani generis sacrae literae depingunt, sed et hanc quae sequuta est, quam mali angeli aut satan seducto, et a Deo avulso homine, inductaque in mundum maledictione Dei effecit, quae etiam philosophiae minime nota perspectave est, cum quidem latissime pateat, res gravissimas contineat, et cognitione maxime digna, homineque necessaria sit, denique innumera incommoda inde in communem vitam profluant.

In hac enim homo, pro imagine Dei, satanae imaginem circumfert, corruptus ac iniustus existens, irae ac legi Dei, morti et innumeris calamitatibus ac demum satanae tyrannidi, aeternaeque infelicitati cum diabolis post hanc mortem corporis subiectus, seu innumeris malis culpa ac poenae obrutus. Hinc est, quod homo et ignarus Dei, et simul eius ac proximi omnisque honestatis et rectitudinis ex corde hostis est.

Hinc, veluti ex Pandorae pixide aut dolio, Lerna malorum profluit, nempe horribilis ista humani generis confusio, mutua hostilitas et bella, latrocinia, caedes, furta, variae imposturae malorum hominum et cacodaemonum, tanta rerum imbecillitas atque incertitudo, ac mille scelerum et calamitatum difficultatumque humanarum species. Quarum originem philosophia ignorans, stupensque miratur, unde nam ea primario scaturiant.

Nec in hominem tantum se effudit maledictio ac ira Dei, calamitas et confusio, tyrannis aut *ataxia*, et furor satanae, sed et in eius possessiones aut regnum, id est, in totum mundum, in quibus ipsis quoque indita in creatione bonitas et *eutaxia* valde est imminuta, et contraria mala confusio et pravitas successit. Ut Deus terrae maledicens dicit: Proferes homini spinas. Hinc mala venena in aere, aquis, herbis, hinc sterilitas agrorum et aquarum, hinc ferarum, quae pleraeque ac venenatissimae ad speciem serpentum humi repentes pertinent, imitantes nimirum hostilitate sua illum primum hostem, et eversorem humani generis serpentem. De hac igitur etiam forma corrupti mundi ac hominis theologia disserit, praesertim dum causam originemque eius, et modum rationemque ea utendi ostendit.

Quae forma mundi constat partim ex priore illo bono, cuius tantum naturalia deletis spiritualibus, aut ad animalem hanc vitam pertinentia restant, partim ex hoc novo veneno satanae. Quam tristissimam **(516)** commixtionem Dominus depingit similitudine fertilis, bene culti, bonoque semine consiti novalis, cui inimicus homo malum semen zizaniorum, spinarum, tribulorum, et similium pestium interseverit, in quo mixtim bonum frumentum et pessimae herbae crescant. Sic enim sane nova haec mundi forma post lapsum, ex Dei et satanae opere, malo bonoque ex ordine atque confusione nunc conflata, compacta, commixtaque consistit.

Quod ad hanc pravam formam attinet, occupatur theologia potissimum in describendo malo culpae, eiusque origine, seu in redarguenda malicia humana, tum in factis ipsis, tum et in pravitate cordis consistente et semet occultante, quae plane imperscrutabilis, ac impervestigabilis est. Atque adeo et ipsos malos angelos, omnisque mali authores depingit. Haec philosophia ignorat. Nesciens enim causam originemque mali, putat ea ita perpetuo mundo ac rerum naturae insita ac innata fuisse, nisi quod poetae, rumusculis a patribus acceptis, de aureo argenteoque seculo, deque muliere homini a Deo donata, et malorum omnium causa somniant, ea ipsa falsa esse putantes, et ad mythologicas interpretationes traducentes.

Dubitat etiam philosophia unde sit mors et an mors et aliaeque mundi calamitates vere mala dicenda sint, aut non cum etiam optimis accidant. Ideo stoici sola vitia esse mala iudicaverunt.

Huic confusae formae, boni ex prima origine, ac mali ex furore satanae orti accessit et tertium quiddam, quod et ipsum boni rationem obtinet, ac veluti remedium quoddam aliquibus ex lapsu hominis et ruina mundi ortis malis opponitur, quod quale sit, paulo post exponemus. Ut iam forma mundi ex tribus diversissimis coniunctis aut confusis mirabili ac tristi quadam mixtura consistat, de qua priusquam dicam, altius quaedam ut repetam operae precium est. Nam ut exponi clarius possit, quid theologia de tota praesentis mundi formali causa dicat, quaedam sunt ex prima origine repetenda.

Deus condidit hominem, non tantum ut sit, seu ipsam essentiam habeat, sed etiam ut beate feliciterque vivat. Est igitur quasi duplex forma mundi: altera ad esse, altera ad bene esse pertinens. Quarum posteriorem quidem vocemus, docendi gratia. Spiritualem: priorem vero corporalem. Hanc spiritualem formam, seu ad bene esse pertinentem, in ruina hominis plane amisimus, et per eam contrariam formam, id est male esse, extremamve infelicitatem nacti sumus: Ut, licet hanc qualemcunque corporis vitam adhuc utcunque retineamus, amissa tamen vere beata vita, infelicissimam hanc nunc perpeti ac tolerare cogamur, et in poenam tantum nostram vivamus existimemurque beatiores longe futuri, si nati nunquam fuissetus.

**(517)** Hoc vero male esse, seu poena, non tantum ad aeternam animae infelicitatem pertinet, sed etiam huius vitae, quae adeo variis calamitatibus ac miseriis inde premitur, ut ne vivere quidem in hac vita, nisi nova remedia fuissent reperta, possemus.

Cum igitur duae sint formae vitae hominis, sunt etiam duplicia in eis mala: In illa corporali quidem, quae solum esse, existentiamve hominis continet, multo minora, quam in spirituali, ubi pro summa aeternaque felicitate, extrema infelicitas est consequuta.

Duplicibus porro hisce malis, corporalibus et spiritualibus, duplicia etiam remedia Deus ordinavit, maiora et minora, spiritualia et corporalia, de quibus mox distincte dicemus.

Fecit etiam beneficus ille Pater, quasi officinas quasdam aut pharmo copolia horum remediorum, quae sunt tres hierarchiae: prima, domus aut oeconomia; secunda, civitas seu politia; tertia, Ecclesia seu vera religio. In prima hierarchia, nanciscimur ipsum esse; in eadem, et secunda, assequimur varia remedia, ut possimus esse, seu hanc miseram vitam essentiamve variis adminiculis atque remediis adiuti tolerare, utcunque tueri ac fovere. Qualia haec sint remedia, mox clarius exponemus. Ex ultima hierarchia, id est, Ecclesia aut religione, contra vera ac summa mala, id est, peccatum seu iniusticiam, iram Dei, satanam et mortem, remedia nos ad aeternam vitam sanantia aut vivificantia feliciter petimus.

Duo sunt etiam, ut crasse distinguamus, horum remediorum authores. Priorum ac minorum est inventrix ratio, liberum arbitrium, seu humana experientia ac industria, non tamen sine monstratore Deo, qui per hominis superstites vires haec bona seu remedia reperit atque excoluit. Posterioris vero seu spiritualis remedii solus Deus, sine omni nostra opera, author, monstrator et largitor est, cum homo nec morbum quidem ullatenus persentisceret, nedum remedium scire aut intelligere ulla sua sapientia posset. Dicamus igitur primum de minoribus, seu corporeis remediis.

Huius novi boni, licet ab hominibus inventum videatur, est etiam Deus author, qui volens hanc speciem humani generis conservare, ut inde sibi Ecclesiam misso Filio instauratore, eiusque doctoribus colligeret, varia remedia ei monstravit, quibus adhibitis vitam hanc utcunque toleraret, nec totum genus humanum penitus ex hoc mundo tot calamitatibus afflictum consumptumque aboleretur. Docuit enim Deus, non Ceres, Adamum, quomodo in sudore vultus ex terra quaerere panem, aliaque elementa deberet, docuit quaerere tegumenta ex animalibus, monstravit Noacho patri inventionem ac usum vini et carni, et procul dubio aliis alia, **(518)** quae in sacris literis non recensentur. Ideo mox initio in Genesi varii excellentes artifices, utiliumque per se rerum repertoires nominantur. Alius enim ferri usum, alius aedificia, alius musicam, et alia reperisse commemoratur.

Ille igitur est, qui singulari beneficio omnibus temporibus excitavit viros ingeniosos ac industrios, qui varias artes liberales et illiberales, misero huic hominum generi, et etiam brutis homini servientibus utiles, reppererunt, aut saltem excoluerunt, quos postea stulta ac vero Deo ingrata ethnicorum posteritas inter deos retulit.



Est vero humanum ingenium, quantumvis corruptum adhuc, ad haec invenienda, perdiscenda, excolenda et tractanda valde idoneum. Quin et sine omni humana industria saepe mirabili occasione Deus hominibus varia medicamenta, et aliarum difficultatum remedia ut historiae testantur monstravit, ut (exempli gratia) hoc tempore artem impressoriam ad Euangelii religionisque suae propagationem, et Galeni pater somnio divinitus praemonitus est, uti filium ad medicinam applicaret.

Sunt vero etiam ista ipsa remedia ex priore aut creationis bono. Nam et sumuntur ipsae res ex superstitibus creaturis et humana industria ingenioque, aut aliquatenus reperiuntur, aut certe administrantur, non tamen sine Deo, sine quo nihil viciens, vegetum aut efficax est.

Omnes igitur utiles artes liberales ac illiberales sunt veluti medici quidam humanarum difficultatum, varia eis remedia praeparantes ac porrigentes, quas ideo sapientes ethnici bonorum fontes nominant. Seu sunt verius (si nostrae naturae imbecillitatem expendere volumus) veluti reconcinnatores quidam, laceros calceos aut vestes, nempe hoc nostrum corpus ac vitam, sarcientes et instaurantes, ut pater Cyri de medicis pronunciat nequaquam novas facientes. Id vero ipsum tantum in inferioribus malis aut morbis faciunt. Nam summa mala, peccatum aut iniusticia, ira Dei, tyrannis satanae, mors et infernus manent, miserorumque hominum cervicibus atque exitio perpetuo incumbunt, nequicquam omni humana industria ac vi contra sudante aut satagente.

Inter omnia autem haec humana remedia superiorem locum, ob nobilitatem et difficultatem, tenent scientiae ac artes liberales. Inter quas politica ac ius vel praecipua est, monstratque rectam rationem congregandi, ac in unum quoddam corpus redigendi, atque regendi coetus hominum, per coniugia, domos, pagos, civitates, provincias, regna et leges, ita ut consociati coniunctique homines sint sibi invicem solatio et auxilio, certa quadam ratione ac conditione sese invicem sedulo sublevantes.

Hanc artem qui invenit, fuit (teste Aristotele) maximorum bonorum **(519)** humano generi author. Sed est nimirum Deus ipse author omnis boni, qui constituit regna et civitates, ut Daniel dicit, quique homines idoneos, tanquam singulares quosdam suos ministros, excitat ad ferendas leges constituendas regendasque politias ac regna, et ad eas etiam armis, contra iniustam hostilemque vim, protegendas atque conservandas, quos, ut ipsemet in Esaia testatur, manu, ut pueros, apprehensos ducit, omniaque difficilia reddit facilia, et invia efficit plana, aspirat animum et vires, dat consilium atque robur felicemque successum eorum conatibus largitur. Recte ergo pronunciat Demosthenes, leges esse inventum ac donum deorum.

Docet igitur theologia, politias a Deo constitui, servari ac fovendi, ideoque illas eum agnoscere, colere ac invocare, ab eoque perpetuum favorem et opem implorare debere, contra sua peccata, eius iram, diaboli et malorum hominum conatum, qui perpetuo

ardentissimeque huic divinae ordinationi, et hominum incolumitati ac omni honestati insidientur. Docet item, quod omnis potestas sit tantum a Deo, cui qui resistat, Deo in suam perniciem resistat, et quod gubernatores sint singulares quidam ministri Dei, gestantes gladium, ut sint honori bono operi, ac terrori malo ut sint hominibus bono non malo, utque pacem ac societatem hanc hominum rectis legibus constituent, regant atque tueantur.

De huius porro remedii forma, id est, de politia, theologia non ita multum disputat, inquam cum suo Domino: Quis me constituit iudicem? nisi quod Decalogum ei, ut fontem et normam omnium iurium ac constitutionum proponit, eique omnes politiae leges vult esse conformes, et quod dicit, ut modo auditum est, politiarum constitutionem et conservationem a Deo esse, ab eoque comprobari, et magistratus esse ministros Dei, gestantes gladium, ut sint, iuxta praescriptum sui Decalogi, honori bono operi, et terrori malo, cum in omnibus aliis rebus, tum et in Religione sint hominibus ad bonum dati, qui publicum, non privatum commodum spectent, quibus omnes homines obedire velint, non solum propter vitandam externam poenam, sed etiam propter conscientiam, et offensionem ipsius creatoris, quodque probet et requirat hominum obedientiam erga rectas iustasve politiarum leges et magistratus, probet etiam omnia utilia et bona vel iusta vitae genera in politiis, quod unumquemque velit in sua statione aut vocatione manere, et recte sese in eis gerentes, dicit sibi, non hominibus servire. Vult etiam omnes leges ac ordines politicas ad formam normamque Decalogi compositas, aut potius inde ut rivulos quosdam deductas atque propagatas esse.

Aristoteles dicit, politicam scientiam esse omnium scientiarum **(520)** architectonicam, aut reatricem. At Deus vult suum Decalogum et Euangelium esse supremam architectonicamque sapientiam omnium scientiarum. Omnes in universum scientiae quantumvis eximiae, utiles aut sublimes, theologiae famulari debent, sive sint scientiae liberales aut illiberales, sive politicae, togatae, aut militares. Omnium enim horum fines theologico illi, primarioque fini aut scopo servire debent. Ideo enim magistratus pacem, ideo iurisperitus ius, ideo medicus valetudinem, et aliae artes sermonem, victum et amictum nobis prospiciunt, ut Deum ex sua doctrina agnoscere, eum colere, ac beati felicesque eius munere fieri possimus. Unde apparet, quanta sit rei indignitas, et quam non ferenda ordinis inversio, cum istae ignobiles ancillae aut pedissequae, dominae suae, petulanter insultare et imperitare conantur, ut Agar Sarae. Quare humilietur Agar sub manu Dominae suae, iuxta omnipotentis Dei mandatum, aut si omnino proteruire pergat, extrudatur una cum derisoribus filiis suis, ex Ecclesia religioneque Dei.

Formam igitur huius remedii, politiae ac legum, vult theologia esse conformem Decalogo, ac rectae rationi, ut si leges politiae Decalogo ac rectae rationi repugnent, doctor verbi merito eam reprehendat. Sed per singulas partes eam Deus non circumscribit, nisi quod id boni populo iudaico, ob certas causas, praestiterat. Relinquit igitur id libero arbitrio, ac humanae industriae, regibus, eorum

consiliariis, ac iuris prudentibus, aliisque gubernatoribus, qui tamen, uti dictum est, in omnibus bene ac praeclare factis, nihilominus a Deo excitantur, ut verissime Demosthenes dixerit, leges esse donum Dei et Salomon tum gubernatorum tum subditorum rectas actiones soli tribuit inquires: Ut oculus videat et auris audiat, utrunque a Deo est.

Ostendit et causam finalem politiae Scriptura, esse eam hospitium et nutricem Ecclesiae, ut nempe in pace iuste ac pie vivere, verbum Dei audire, eum colere, et denique ita ex hoc mundo eluctati ad aeternam vitam pervenire queamus. Quare summum et pulcherrimum munus politiae est, Christo portas aperire, eisque Ecclesiae nutriciam esse. Hunc finem politiae, totamque hanc multiplicem coniunctionem politiae et Dei, ignorat et contemnit philosophia, quin etiam plerumque politiae cum hoc pulcherrimo proprioque suo fine pugnant, eique reluctantur. Hinc toties a Deo moventur gubernatores: Erudimini reges. Et: Aperite portas principes vestras: Deusque illis bellum ac triste exitium minatur. Psalm. 2. et 110.

Atque hoc est omnium maxime necessarium remedium huic corruptae naturae, ad hanc quidem carnalem vitam peragendam, quod utinam sese intra suos fines contineret, et non etiam spirituali remedio ac regno (521) repugnaret, aut leges ferre contra verbum Dei conaretur, sicut pro dolor plerumque fit.

Secundarium medicamen aut remedium huius afflictae naturae sit medicina, et quae aliae artes ad eam pertinent, postquam sequantur et aliae tum liberales, tum et mechanicae artes, quae quidem huic vitae sunt utiles.

Haec omnia remedia theologia comprobat, sed eorum formas et actiones praescribendas relinquit libero arbitrio, et suis artificibus, tametsi a Deo omne bonum dari, et istas etiam artes monstrari, iuvari et comprobari, ad easque excolendas praestantes artifices excitari testetur, ut supra plenius ac prolixius ostensum est.

Vult item omnes communi utilitati servire, non paucis quidem prodesse, multis vero obesse. Vult eas licitis mediis, per causas secundas, sine satana peragi, et in Deum non esse contumeliosas, ac in summa, Decalogo legive Dei morali non repugnare.

Asserit etiam, tum demum efficacia esse omnia remedia aut bona, et omnino omnes secundarias causas in omnibus vitae generibus, cum prima eas reddit vivas, vegetas ac efficaces, seu, ut sacrae literae loquuntur, cum Deus eis benedicit, et benigne incrementum largitur, alioqui plane frustra esse omnem humanam plantationem et rigationem.

Item docet theologia, Deum mala, ac calamitates mundi varie, pro suo arbitrio, et hominum peccatis, poenitentia aut invocatione, vel augere, vel minuere.

Docet varia in hac vita in omnibus actionibus et functionibus, praeter secundas causas, et contra usitatum ordinem accidere, vel a Deo, vel ab angelis, vel a diabolis, vel etiam ex materiae debilitate

rerumque confusione ob lapsum hominis exorta, non tamen sine Dei providentia, sine qua non cadit folium de arbore. Quarum rerum causas cum philosophia non cernat, fato, fortunae (caecae deae) aut casui, ipsa vere in tantis rebus caeca, adscribit.

Praeclare vero Paulus dicit de hisce remediis: Esca quidem ventri, et venter escae destinatus est, donec Deus et hunc et illum aboleat. Item: Quae ipso usu pereunt, item Christus dicit: Si quis ex hoc fonte biberit, sitiet iterum. Sed si quis biberit de aqua quam ego dabo, non sitiet unquam, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Item: Patres vestri comederunt manna, et mortui sunt. Sed si quis comederit panem de coelo descendentem, non morietur. Item: Operemini escam non perituram.

Quibus omnibus indicatur, remedia quidem ista corporalia tantum ad hanc vitam pertinere, et subinde iteranda esse, quia nullam stabilem (522) sanationem, aut medicinam malorum adhibeant. Verum spiritualia remedia, de quibus mox dicemus, afferre plenam et solidam sanationem, ac stabile plenumque gaudium et pacem, quam nec mundus dare, nec quisquam, donec in manu Dei sumus ac custodimur, auferre a nobis potest. Ut taceam nunc futura illa bona ab hoc eodem fonte scaturientia, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

In hisce igitur auditum est, quatenus theologia de causa formali mundi, quam supra carnalem nominavi, disserat, nempe quod doceat, eam constare ex tribus diversissimis: Primum ex bono originali, seu in creatione, a Deo facto, deinde ex malo a satana in ruina hominis excitato, et postremo ex remediis, quo omnis moles et varietas scientiarum atque artium liberalium et illiberalium, utilium tamen, omnisque industria ac opera hominum pertinet.

In hac igitur carnali confusaque massa exponenda quatenus theologia versetur, aut non, satis pro hoc quidem compendio nunc dictum sit.

Nunc de spirituali dicamus, quae est potissimum in homine, quaeque propria soli theologiae est, philosophiae ac rationi penitus ignota ac incomparata existit.

In hac vero forma tres, aut etiam quattuor quasdam spirituales monarchias docet ac monstrat theologia. Quarum prima est, regnum Dei naturae seu creationis, secunda est regnum satanae, peccati aut irae, tertia est, regnum Christi aut instaurationis, ultima est regnum Antichristi. Hae monarchiae omnes spiritualem istam mundi formam constituunt, quae primum fuit pulcherrima, secundo facta est turpissima, tertio demum ad illam pristinam formam restitui ac reaedificari incipit, quarto denuo ab hoc homine peccati et perditionis mirabili pietatis praetextu deformatur ac in pristinas satanae tenebras impietatesque retrahitur.

Disserit igitur theologia primum de optima illa forma hominis, quae fuit initio in homine in regno Dei, mox in creatione, cum homo est creatus ad imaginem Dei, seu, quod idem est, disputat de ipsa

creatoris imagine. Deinde agit de illa tristissima forma, quae in ruina hominis secuta est, in secunda monarchia, seu in regno satanae, quaque satanam ac eius regnum repraesentat, eique subiectus est et servit, seu de imagine satanae, homini insculpta.

Disserit item plene de ea quam habere deberet, quamque iam denuo sit recepturus. Monstrat et modum et media, per quae ad hanc novam feliciorumque formam aut imaginem sit rediturus, et totum denique hoc (523) novum spiritualeque regnum Christi et sanati hominis, quod est tertia Monarchia, accurate depingit.

Quin et quartam monarchiam describit, quae iam olim quidem per prophetas et apostolos est praedicta, et demum hisce in postremis temporibus ignenti Dei beneficio patefacta, ac verbo Dei labefactata est, ex qua summo ardore Spiritus Dei omnes evocat. Dum enim eam miseri caecique mortales pro regno Christi habuerunt, cavere sibi ab ea non potuerunt. Nunc vero, perspecta eius horribili impietate et letifera pernicie, merito sibi omnes ab ea cavere deberent, et, si vellent, possent.

Constat igitur et huius spiritualis mundi forma ex tribus formis, inter sese quasi confusis atque commixtis, quae diligenter sunt pio homini in docendo et praxi distinguendae. Est enim haec forma confusa ex bono originali, quod est initio conditum a Deo valde bonum aut eximum, cuius quidem in spirituali forma nulla mica remanserit post ruinam, nisi quod ipsa anima, totusque homo salvandus, sed horribiliter transformatus adhuc superest, et quaedam admodum lubricae noticiae ac studium honestatis in secunda tabula, idque sine Deo.

Deinde ex ingenti mole mali, quae orta est ex lapsu aut ruina hominis, seu ex regno ac imagine satanae, quae est ingens chaos, partim malum poenae, partim malum culpae continens. De quibus non est hic locus disserendi, et in theologia plene tractantur.

Postremo constat haec forma spiritualis mundi etiam ex remediis, quae sunt praecipue, ipse mediator, eius meritum gubernati et intercessio, doctrina et spiritus. Hanc totam formam, et hasce quattuor monarchias ignorat philosophia. Quomodo igitur aliquid de Deo, aut salute hominis utiliter dicere aut docere posset?

Rectissime igitur dici posset, ipsam quidem essentiam aut vitam nostram, ex primo seu Dei regno nobis esse. Morbum vero aut omnis generis mala ex secundo, seu satanae: Omnia enim mala ex regno satanae oriuntur. Et denique tantorum malorum remedia ex regno Christi esse.

Pertinent quidem terrena remedia ad primum regnum, propterea quod et sumuntur ex illis superstitibus creationis bonis, et humanae rationis, quae ex creata natura superest, sapientia acumineque tractantur. Sed tamen, cum Deus ovilla pelle nostros primos parentes texerit, satis indicavit, eos etiam communem istam vitam, eiusque adminicula beneficio ac intercessione Agni Dei, aliquando mirabili ratione peccata mundi ablaturi, retinere, et quod si

non ob hanc causam, et ad hunc finem genus humanum servaretur, ut inde sibi filius haereditatem colligeret, iam tum eos fuisse citra omnem dilationem in aeternum exitium praecipitandos. Verum de quattuor monarchiis alibi dictum est, et forte in (524) separato libello dicetur: Sicut et de philosophiae ac rationis hallucinationibus paulo post.

De finali causa mundi, et praesertim hominis, disserit itidem theologia sola. Nam omnis humana sapientia eam et ignorat, et negligit. Aut, si quando etiam de hac causa aliquid cogitat aut disputat, tamen in hac mortali vita summum hominis bonum ut caecus palpando quaerit, et plerunque a vero fine ad falsos aberrat. Quin potius neque verum finem, id est, aeternam salutem, neque viam ad eum, id est, quomodo in aeternam vitam ingredi possimus novit. Quod abunde philosophorum libri de definiendis bonorum aut felicitate hominis indicant.

Finalis igitur causa mundi est, hominis utilitas, felicitas, et gloria Dei. Ad hunc quidem finem initio mundus est conditus in regno Dei, sed satan destruens regnum Dei, ea omnia invertit, ut abusui foedissimo, ac (ut Paulus inquit) vanitati rerum natura subiecta sit, utque Deus per ea contumelia afficiatur, ac praesertim per ipsum possessorem mundi hominem, et denique, ut homo in aeternum exitium immergatur.

Verum filius Dei instaurans hominem, et Deo reconcilians ac coniungens omnia *anakaifalon* denuo omnia ad verum finem usumque, ad quem sunt condita, id est, ad gloriam Dei et hominis aeternam beatitudinem revocat, eoque omnia in bonum piis cooperari faciens dirigit. Ut Domini nomen deinceps per nos sanctificetur, eius regnum ad nos redeat, et voluntas fiat, sicut in coelo fit. De qua finali causa, deque iis quae ad eam tendunt aut ducunt, plene ac ex professo divinitus patefacta doctrina, aut verbum Dei disserit, ut gnaris doctrinae christianae notum est.

Haec de metis ac finibus scientiarum sacrarum ac prophanarum dicere ob eas causas volui, quas mox initio recensui. Quam disputationem credo aliquid profuturam, ad agnoscendam immensam humanae corruptionis in summis rebus caecitatem, et Dei, nos in tenebris et umbra mortis sedentes, sua luce illuminantis, immensam benignitatem ac beneficia.

Memorabilis vero est in hac parte, Lutheri piae memoriae disputatio super Gen. 3. et Psal. 127. ubi prolixè monstrat, omnem humanam sapientiam versari tantum circa materiale et formale causam rerum humanarum, ac mundi, primam vero efficientem et ultimam finalem plane ignorare. Quam tractationem leget ibi, qui volet.

**(525)** DE CAECITATE PHILOSOPHIAE  
ET RATIONIS, IN REBUS DIVINIS AUT SPIRITUALIBUS

Constitutis porro terminis humanae ac divinae sapientiae aut doctrinae, quousque unaquaeque se extendat quoniam humana audacia sese intra suas metas non continet, nunc et illud monstremus, quam multipliciter foedeque omnis humana sapientia ac ratio hallucinetur, si in terminos possessionesque coelestis doctrinae transeat, ibique (ut non raro solet) suum ingenium, argutiam, industriamque experiatur ac ostendet. Unde simul apparebit, quam sit necesse humanam rationem aut philosophiam a possessionibus bonisque coelestis doctrinae severissime arcere, et veluti proteruas quasdam capras flagris ab hoc preciosissimo Domini vineto quam longissime abigere.

In hac vero dissertatione commodum nobis principium simul et occasionem, aut etiam materiam, argumentumque disserendi suppeditabit ille celebris Pauli aphorismus, aut etiam oraculum, de humana et divina sapientia. 1. Cor. 1. nam quandoquidem mundus Deum in eius sapientia per suam sapientiam non cognovit, visum est Deo, per stultam praedicationem servare credentes.

Quae sententia humanae seu carnalis, et divinae spiritualisque sapientiae collationem continet: quae omni christiano, praesertim autem theologo, cum primis utilis, imo et pernecessaria est. In hac enim materia summa christianae religionis vertitur, ut ea non cognita, omnino male infeliciterque haec doctrina ac pietas tractetur.

Complectitur autem haec D. Pauli sententia, tria potissimum. Primum, humanum genus non percipere, aut comprehendere ea quae Dei sunt, eoque in aeternum perire. Secundo, Deum ipsum rationem ac doctrinam novam reperisse, quam velit servare homines. Tertio, eam ipsam doctrinae rationem videri hominibus prorsus ineptam et inscitam. Iudaeis enim esse scandalum, Graecis autem stulticiam. Comprehendit quidem hoc dictum, non tantum noticiam aut agnitionem, sed et obedientiam seu iusticiam, quae sunt duae principales nostri erga Deum muneris partes, et in quorum utroque turpiter claudicamus ac deficimus. Verum nos nunc de sola scientia dicemus.

De hisce igitur tribus ordine disseremus: videlicet, de humana sapientia gravissime circa Deum eiusque religionem etiam non considerata coelesti domina caecutiente: secundo, de nova ista Dei doctrina, aut sapientia, quae postquam homo veritatis viam reperire ex sese non quivit, ad **(526)** hospicium a Domino inventa dataque est, ut sola veram salutis viam monstrat, denique quam multipliciter humana ratio et sapientia huic ipsi novae Dei sapientiae aut doctrinae reclamet.

Dicam autem non studio vituperandi philosophiam, sed ut christianus, et ut sacrae theologiae professor, et denique ut coram purae Christi doctrinae studiosis hominibus, quibus nihil debet esse gratius quam sui morbi magnitudinem, et coelestis illius medici opera

beneficiaque patefieri ac illustrari. Benigne ergo christianoque animo me a vobis audiri peto ac obsecro.

Primum apostolus duas quasdam sapientias nominat, alteram Dei, qua ille sese humano generi patefecerit, alteram hominis, qua Deum per suam illam patefacientem se sapientiam agnoscere, et colere, eoque luti luna solis radios excipiens frui deberet. De quibus prius ordine dicemus, quo postea, quomodo illae ad sese invicem habeant, aut respiciant, exponere possimus.

Affirmat ergo Paulus, Deum suam admirabilem ac plane ineffabilem sapientiam ac potentiam nobis spectandam, cognoscendamque proposuisse. Quod ille nimirum in creaturis suis fecit, ut primum in ipsa mundi creatione, quae tum ex nihilo, tum subito, aut brevi certe tempore, tum solo tantum verbo facta peractaque est. Deinde etiam in inenarrabili ordine et proportione innumerarum et prorsus variarum rerum, aut partium, quibus mundus constat, quaeque in eo continentur. Tertio, in eo quod omnium earum partium aut rerum sint certi fines ac usus, ad quos illae res habent sibi divinitus inditas inclinationes, vires, et efficaces operationes, ita ut etiam ipsi ignari veri Dei ethnici, qui tantum in naturae consideratione versati sunt, pronunciarint, nihil omnino in rerum natura frustra aut temere factum esse, licet ipsum tam praeclari operis architectum nec agnoverint, nec curarint. Recte ergo alii sapientes, gratam Dei famam in rebus ac artibus sparsam esse, alii coelum scholam cognitionis divinae esse dixerunt.

Quarto, si sana piaque mente mirabilem Dei providentiam in regendis ac conservandis creaturis consideraverimus, item illam ineffabilem ac ab omnibus sapientibus celebratam motuum coeli harmoniam, indeque profluentem temporum ac nascentium vicissitudinem, et specierum conservationem, quae omnia Cicero prolixius in 2. De natura deorum evoluit ac considerat: profecto inenarrabilem omnipotentis artificis sapientiam attoniti stupentesque mirabimur.

Quinto, si homo, qui non immerito quasi alter minorque mundus aut *mikrokosmos* est a sapientissimis habitus ac vocatus, expendatur, ineffabilis ibi quoque Dei providentia sapientiaque deprehendetur. Nam, (527) ut taceam de aliis hominis partibus ac potentiis, in quibus inenarrabile evidenter cernitur artificium *philozou kai philanthropou theou* (ut etiam Xenophon, Cicero et Galenus ratiocinantur) illud nunc solum expendatur, quod in hoc animali ipsa Dei imago picta effectaque fuit, quod omnia huius unius causa in hoc mundo sunt condita, quodque hic ipse mundi possessor ac cultor ad omnipotentis Dei cognitionem, obedientiam, cultum, gloriamque sit conditus, ac in hunc mundum veluti villicus quidam aut alienorum bonorum dispensator collocatus, ut domino suo certos statusque fructus inde semper penderet, persolveretque.

Ordo sane causarum, in mundo admirabilis est, miroque artificio ab uno motore incipiens, subinde latius, ac in plures causas et effectus sese extendit, ac dilatat: qui tamen tandem omnes in unius hominis usum, commodumque veluti ultimam suam metam finemque desinunt. Unde porro, veluti a novo quodam principio aut primo



motore, denuo novum initium motus sit, novusque ordo causarum et actionum oritur, qui vicissim ab homine ad Deum, eiusque voluntatem ac gloriam tendit, ibique desinit. Dicas esse veluti catenam quandam, ut olim poetae fabulati sunt, aut viam, aut radios etiam luminis coelestis, a Deo in hominem sparsos, et hinc vicissim ad Deum reflexos ac refractos.

Atque haec, admirabilis et inexplicabilis Dei sapientia infinitis partibus magis luxit ac fulsit in prima illa integritate, priusquam ob hominis lapsum, non tantum homo est horrendum in modum contaminatus, sed etiam in totam rerum naturam tristissima *ataxia* et horribilis maledictio Dei invecta est.

Recte ergo Paulus Rom. 1. affirmat, invisibilia Dei ex eius operibus, dum ea diligenter considerantur, perspici, cognoscique posse. Et Act. 14. ac 17. dicit, Deum nobis adeo prope esse, nosque variis beneficiis quotidie replere, nosque in eo esse, vivere ac moveri, ut vel manibus ferme palpari queat, si modo nos homines non truncorum aut lapidum instar, sine omni sensu ac vero intellectu in tantis rebus rigeremus ac stuperemus.

Sed si natura mansisset integra non tantum in externis rebus, aliisque creaturis homo sapientiam Dei considerasset, ipsa innata Dei imago maximos illi thesauros sapientiae divinae considerandos ac perscrutandos repraesentasset, et veluti coram ante oculos exhibuisset, in quibus praeter alia ineffabilia, etiam illam longe pulcherrimam ac vere coelestem harmoniam suae cum Deo conformitatis, illius erga se ardentissimi amoris, multiplicis ac infinitae beneficentiae ac providentiae, et vicissim sui erga illum officii, cultus ac observantiae, ingenti cum admiratione, spirituali gaudio et erga Deum studio contemplatus fuisset.

**(528)** Ibi ille demum plene et solide intellexisset, quid illud sit, quod toties Deus ingeminat: Sancti estote, sicut et ego sanctus sum, quae sit lex et ac voluntas eius, quae item illa ingentia bona nobis reservata, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: et quae sit illa similitudo, coniunctio et familiaritas cum Deo futura, qua veluti Dii in altera vita erimus, ac in aeternum aspectu sodalitioque Dei ineffabili cum laetitia perfruemur.

Verum, non tantum Dei sapientiam erga nos sese exerentem ac ostentantem, et veluti e coelo fulgentem, sed et hominis, quae illi coelesti obviare illam agnoscere, et quasi obviis manibus apprehendere deberet, in hoc suo aphorismo D. Paulus nominat. Habuit enim certe olim in illa felici integritate longe amplissimam sapientiam homo, divinitus sibi inditam, quam procul dubio perpetua meditatione, operum Dei consideratione, et denique Dei familiaritate colloquioque plurimum auxisset.

Possidet et adhuc homo aliquam sapientiam, quae ipsa quoque non vulgare immensae bonitatis Dei beneficium est. Habet enim aliquam scintillam principiorum, multarum utilium noticiarum, habet sensus externos et internos, quibus rerum communium usum percipit, habet memoriam, qua eas usu sensibusque perceptas noticias, veluti in penu conservat, habet denique vim ratiocinandi, qua et singulas res ita inter sese comparat, coniungit et disiungit, ut inde noticias

sententiarum extruat, illasque postea sibi invicem connectat, aliudque ex alio, lumine oculoque consequentias aut connexiones sententiarum iudicante, connectat, et tum ab ultimis aut rerum usu ad prima principia, per analysin noticias construendo ac conectendo ascendat: tum et vicissim a primis principiis deorsum per synthesin ad singula seu individua, eorumque usum descendat.

Atque hac ratione, ac veluti negociatione, homo ultro citroque commeando aliquod quasi lucrum, aut etiam *hepketanon* lucratur, ac congerit. Sic enim, teste Aristotele, ex multis quidem actionibus oriuntur experimenta, ex illis experientia, et ex multis experientiis, in generales quasdam noticias deductis, digestisque, accedente etiam causarum animadversione, extruitur tandem solida aliqua scientia.

Hunc ipsum tamen humanae sapientiae thesaurum non unus homo, nec brevi tempore collegit, sed multi inde a condito mundo, nec vulgares, voluptatibusque ac vitiis onerati et obruti homines, sed illi quos (ut poeta inquit):

*Credibile est pariter vitiisque iocisque  
Altius humanis exeruisse caput.*

Nec hoc ipsum sola humana industria effectum est, sed singulari Dei (529) manductione aut praemonstratione, ut merito et leges et philosophia tota deorum immortalium inventum munusque esse dicantur.

Verum, nec prima quidem illa integra solidaque hominis sapientia, Dei sapientiam apprehendere, in eaque persistere potuit, sed ab hoste callidissimo, ei maiorem adhuc quandam sapientiam insidiosae ostentante, et quasi eam inescante, in laqueos inducta, subversa vel perversa est, nedum ut haec praesens eam apprehenderet, quae infinitis partibus minor ac deterior est.

Ista quoque ipsa humana sapientia, cuius fontes et originem utcunque modo delineavimus, quantacunque demum sibi esse videtur, et quantumlibet sibi una cum suis possessoribus et professoribus placeat, applaudit, ac palpet, non tamen percipit ea quae Dei sunt, nec ad illam spiritualem aeternamque vitam pertingit, sed tantum hic in terris, in rebus carnalibus caducisque tota occupatur, et ceu in lustro quodam aut sterquilinio, coelo deiecta, brutorum instar, turpiter volutatur.

Enumerabimus autem, et veluti cursum tantum perstringemus, quae nam sint ea divina aut spiritualia, quae corruptae huius naturae sapientia non percipiat, quantumvis innumeris plane divinae praesentiae, sapientiae, ac omnipotentiae experimentis, veluti quibusdam solis ipsius radiis circumfulgeatur.

Primum ignorat mens humana, ac ne admonita quidem, et rationibus, operibus et perpetuis beneficiis Dei convicta, certo potest statuere, esse unum, verum, viventem, ac omnipotentem Deum, multo minus novit, qualis nam sit ille Deus, quot in eo personae, quae illarum personarum inter sese ratio, etc.

Licet enim aliquando philosophi aliqua praeclara dicta de Deo inciderint, partim a patribus accepta, partim ab ipsa evidenti experientia eis veluti obtrusa, tamen eas, perinde ut gallus ille

Aesopicus gemmas, negligunt, vel etiam mox inde ita veluti praecipiti fuga sese proripuerunt, et ad impia somnia plurium deorum et idolorum proripuerunt, ac si subito violentissima aliqua machina hinc ex nostro aspectu abrepti, et alio quam longissime maximo impetu contorti proiectique fuissent.

Satis id praeter communem experientiam, vel unus Cicero confirmare potest, qui gravissime queritur, quod in tam necessaria re, tanta sit inter summos et doctissimos dissensio, quodque etiam summi ac celeberrimi philosophi, Socrates, Pythagoras, Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Protagoras, Democritus, Simonides, Plato, Aristoteles, Zeno et Theophrastus, aliique in una de Deo sententia constanter (530) non persistent, sed modo hoc, modo aliud de diis sentiant, et doceant. Ac enumeratis eorum sententiis, tandem ipse exclamat: Se non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia recensuisse. Quod peccatum et ipsemet aliorum reprehensor Cicero, multipliciter admisit, eoque optimo iure a Lactantio, libro Institutiones primo et secundo flagellatur. Eademque de causa Augustinus Senecam, in libro de Civitate Dei sexto, obiurgat, cuius verba sunt haec.

Sed si verum attendamus, deteriora sunt templa ubi haec aguntur, quam theatra ubi finguntur. Unde in his sacris civilis theologiae has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim: Quae omnia sapiens servabit, tanquam legibus iussa, non tanquam diis grata. Et paulo post: Ouid quod et matrimonia, inquit Seneca, iungimus, et ne pie quidem, fratrum scilicet et sororum? Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam, quosdam tamen coelibes relinquimus, quasi conditio defecerit, praesertim cum quaedam viduae sint, ut Populonia, vel Fulgora, et diva Rumina, quibus miror petitorum defuisse. Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo aevo longa superstitio congegisset, sic (inquit) adorabimus, ut meminerimus cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere.

Nec leges ergo illae, nec mos, in civili theologia id instituerunt, quod diis gratum esset, vel ad rem pertineret, sed Seneca, quem philosophi quasi liberum fecerunt, tamen, quia illustris populi romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat, quia videlicet magnum aliquid eum philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium moresque hominum non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo, eo damnabilius, quod illa quae mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret. Scenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo deciperet. Hactenus Augustinus. Idem quoque Seneca paulo post acerbe Iudaeorum sabbata ac sacramenta insectatur, adeo omnis humanae rationis sagacitas ac sapientia in Dei cognitione caeca, distorta, amens, impiaque existit.

Deinde ignorat ista sapientia, seu humana ratio, voluntatem Dei, non tantum euangelicam, sed etiam legalem. Volvunt quidem aliquando philosophi animo et lingua praeclaras aliquas sententias de iusticia ac moribus, quas etiam experientia vitae huius utiles

necessariasque esse animadverterunt, vel ab aliis, atque adeo etiam ex ipsa sacrarum literarum doctrina perceperunt. Sed neque Deum authorem vitae, nec legislatorem in eis expendendis respiciunt, nec firmiter illae pectori **(531)** humano inhaerent, sed facillime falsis opinionibus extinguntur, nec demum ullos gratos fructus pariunt.

Tertio, dubitat omnino fluctuans incerta hominum mens, an mundus sit certo tempore conditus, et aliquo tempore ab hoc suo motu, aut rerum fluxu desiturus. Aristoteles quidem, citra omnem controversiam philosophorum omnium princeps, statuit, mundum ab aeterno fuisse, eiusque se habere sententiae certas demonstrationes non dubitat, quia scilicet nec prima perfectissimaque causa ociosa esse, nec quicquam ex nihilo fieri queat.

Eum plerique philosophi sequuntur, quod satis Proclus in Timaeo ostendit. Simplicius, eius primarius commentator, habet celebrem admodum de ea re sententiam. Dicit enim, vetustissimos quidem philosophos, qui theologi simul fuerint, tradidisse, mundum certo tempore esse a Deo creatum. Sed eam illorum opinionem procul dubio inde esse ortam, quia mens humana aeternitatem animo concipere nequeat, sed certum principium, medium ac finem omnino concipere velit.

Quod si qui etiam vel philosophi vel poetae, de principio mundi, ex veteri traditione aliquid adhuc retinuerunt, mussitaruntque, tamen eam opinionem ita fabulis ac erroribus involverunt ac deformarunt, sicut Plato in Athlantico suo facit, ut nihil plane sinceri retinuerint.

Quarto, de providentia, an Deo res humanae curae cordique sint, an vero omnia casu ferantur, vehementer humana ratio ambigit, praesertim in rebus tristibus ac difficilibus, ubi vel maxime Dei ope indigeret, hacque praesentiae ac providentiae Dei noticia recte uti deberet, vel etiam horrendas blasphemias erumpit.

Nec pugnat hic nobiscum Paulus Rom. 1. qui dicit quidem, Deum se nobis tot admirabilibus creationis suae operibus patefecisse, indeque eius invisibilia sciri ac pervideri posse. Aliud enim est, ut praeclare distinguunt eruditi, rem per sese scibilem conspicuamque esse, aliud, nobis esse perspicuam. Plerunque enim nos ad res natura notas et perspicuas caecutire, et in incertis, fluxis ac lubricis experientia quadam maiorem noticiam ac dexteritatem agendi (ut empirici quidam) habere solemus. Quare idem apostolus, patefactionem istam Dei Act. 14. et 17. declarans, dicit: Deum quidem nobis coram praesentemque esse, et nobis sese tot ingentibus et quotidianis beneficiis ultro quasi palpandum exhibere aut obtrudere, nosque in eo esse, vivere, ac moveri, sed tamen illum nihilosecius nobis manere ignotum Deum, non sua, sed nostra culpa, ut divus Paulus eodem ad Romanos loco affirmat, asserens omnes homines, in tanta luce patefactionis divinae, nihilo minus in suis cogitationibus **(532)** evanuisse, et suum non intelligens cor etiam magis obtenebrasse.

Quod si quid aliqui etiam quasi inviti providentiae animadverterunt, id ipsum nihilominus nescio brutae caecae naturae tribuunt, quae non curet, probet aut improbet vitam moresque nostros, multoque minus nos in calamitatibus haerentes, eiusque opem

implorantes respiciat, aut peccantes puniat. Atque hoc quidem prae grande sacrilegium est, usitatissimum sapientibus ac philosophis, ut mirabilia Dei opera plerumque auctori derogata, nescio cui vetulae seu materculae, quam naturam vocant, et secundis causis, quacunque verisimilitudine et divinatione queunt, adscribant, quas si non reperiunt, ad duos illos caecos et mutos Deos, casum ac fortunam, confugiunt.

Dictitabat olim quidam philosophus, Harpalum, hominem sceleratum, ac nihilominus felicem, vivum testimonium contra deos dicere. Ita profecto est: cum videmus malis quidem bene, et contra bonis male esse, multosque, in optimis causis succumbere, omnis prius concepta providentiae opinio mox nobis animo excutitur, ut de semetipso simili paralogismo ac errore concusso David propheta Dei eximius, Psal. 73. graviter testatur, et conqueritur. Ideo cum videt philosophia bonis quidem male, contra vero improbis bene esse, laborat et sudat multum, dum conatur cum virtute praemia ac felicitatem coniungere. Hinc illae disputationes: An sufficiat virtus ad beatitudinem. Tam mors, morbi et aliae calamitates vere mala sint. An Socrates, Aristides, Palamedes, et alii virtute praestantes fuerint felices, cum sint tristissimis calamitatibus obruti. Quae dubia ac quaestiones sunt philosophiae plane inextricabiles.

Quinto, ignorat mens ac sapientia humana, quis nam verus finis hominis sit. Ignorat enim, hominem ad hoc praecipuum munus conditum a Deo esse, ut eum indita imagine referat, ac repraesentet, eum agnoscat, illi obediat, eum celebret ac glorificet, idque veluti diurnum pensum aut vectigal, suo conditori toto vitae tempore dependat, atque hac coniunctione simul cum Deo beatus felixque sit ac vivat. Hanc suam sortem, huncque finem ac officium homo ignorat, ac etiam a philosophia persuasus, putat se sui iuris animal esse, omnia bona sibi in semetipso posita esse, se suam naturam, quae sit optima vitae dux in vivendo, suumque iudicium sequi debere. Sic igitur dum in se ipso *autarcheian* recte vivendi esse somniat, ac in seipso tum felicitatem, tum et ducem ad felicitatem quaerit, deserit (ut scriptura inquit) fontem aquae viventis, Deum ac verbum eius, et haurit aquam non ex fontibus Israel, sed ex arenis vacuisque puteis.

Innumeri quidem, et admodum diversi, a diversis iisque sapientissimis viris, fines ac officia hominis proponuntur, ac praescribuntur, sed plerique (533) sunt ab ipsarum beluarum vita, aut etiam inanimium sensuque omni carentium sorte, non admodum differentes. Qui proxime ad veritatem accedunt, actionem virtutis, hominis officium finemque esse dixerunt. At quam tandem veram virtutem illi constituere potuerunt, cum eam nec ex Dei creatoris perenni bonitatis fonte hauserint, nec ad obedientiam cultumque ipsius eam direxerint, retulerintve?

Taceo quod finem beatitudinemque hominis intra huius fugacissimae ac innumeris malis obnoxiae vitae angustias concluderint. Praeclare igitur Lutherus piae memoriae, super Gen. et Psal. 127. et in quadam disputatione disserit, omnem humanam sapientiam, tum primariam causam efficientem, tum et finalem rerum

omnium ignorare, tantumque in causae formalis aliquarum rerum cognitione occupari.

Sexto, ignorat humana ratio veras virtutes. Summas enim virtutes, ut est vera Dei agnitio, fides, timor, ac dilectio, omnisque vera pietas ac cultus, unde omnes aliae manant ac dependent, ne attingit quidem, nedum recte explicat.

In secunda tabula tantum ratio aliquid molitur, ac conatur, ubi tamen nec veras virtutis causas adhibet, nempe, Deum, eius verbum ac spiritum, purificantem ac refingentem, seu ut Scriptura loquitur, condentem corda nostra ad virtutes, aut bona opera. Ignorat, quod virtutes ideo, et ad hunc finem praestandae sint, ut Deo obediatur, eaque obedientia ille glorificetur.

Quin etiam cum de amore virtutis aliqui sapientes declamitent, re tamen id ipsa vitaque manifeste refutant, ut praeclare Iuvenalis inquit:

*Quis enim virtutem amplectitur ipsam,  
Praemia si tollas?*

Itaque omnes non renati homines tantum umbras quasdam virtutis, veluti Ixion nubem pro Iunone, amplexati, exosculatique sunt, ac praestiterunt, easque ipsas non studio honestatis, ac iustitiae ipsius, sed vel opes vel gloriam, vel demum carentiam calamitatum sectantes, neque etiam tantum praestituri, si prorsus eis liberum integrumque fuisset, pro libitu vivere et agere.

Septimo, ignorat homo semetipsum, ignorat enim certe animae essentiam et immortalitatem, de qua ingens est sententiarum diversitas, et infinita digladiatio inter summos philosophos. Ignorat et finem officiumque suum, ut paulo ante dixi. Quae autem tandem potest maior inscita esse, quam semet suumque finem ac officium ignorare.

Octavo, ignorat unde confusio tanta, mors ipsa, aliaque mala in hunc mundum exundaverint, nec ullo modo potest molem mali (534) ab ipso divinitus creato bono distinguere, multo vero etiam minus potest tres diversas monarchias, Dei, satanae, ac Christi, quae in hoc mundo sunt, vel agnoscere, vel distinguere, sed ex hisce omnibus unam quandam molem rege gubernatoreque carentem temere confingit, ac confundit, eoque illa confusa massa infeliciter, vel potius in perniciem suam ac aliorum abutitur.

Nono, ignorat hic mortalis homuncio immensam molem propriae corruptionis ac morbi in summis potentiis, intellectu ac voluntate, affectibusque haerentem. Quin potius sibi optimam, rationalis praesertim partis, valetudinem sanitatemque securus somniat, ac persuadet, ideoque non tantum nulla remedia contra innatam gangrenam quaerit, sed etiam nihil non sibi promittit, et de suis viribus confisus audet. Nullum numen abest (stulte iactans inquit), si sit prudentia et: Unusquisque est suae fortunae faber. Et: Uni cuique suus animus moresque Deus sunt. Ideo dum homo caecum illum deum aut ducem, tenebricosumque rationis lumen per devia ac confragosa huius mundi praecipitia sequitur, una cum eo, proh dolor, in barathrum aeterni exitii corrui.

Videt philosophia ingentem omnium externorum praesidiorum hominis fugacitatem et fragilitatem, videt inde saepe ingentia

incommoda percipi, eoque fontem felicitatis verorumque bonorum illi monstratura, eum ab omnibus fortunae, et etiam corporis bonis abstrahit, et ad rationem suam animumque remittit, ut ibi suis viribus quasi quendam amplissimum thesaurum felicitatis scrutetur, ac reperiat, indeque sit beatus ac felix. Praedicatur igitur ab omnibus sapientibus illud ex Platonis epitaphio, quod Cicero 5. Tusculana ita convertit.

Nam cui viro (inquit) ex seipso apta sunt omnia quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario, pendere ex alterius eventis et errore coguntur, huic optime vivendi ratio comparata est. Hic est ille moderatus, hic sapiens, hic fortis, hic et nascentibus et cadentibus, cum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit et obediet praecepto illi veteri. Neque enim laetabitur unquam, neque moerebit nimis, qui semper in seipso omnem spem reponet sui. Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte (inquit exultans Cicero) nostra omnis manabit oratio.

At sacrae literae monstrant, ibi demum vera mala, malorumque omnium fontem latitare. Ibi enim esse intellectum, non tantum ignorantem Deum, veraque bona, sed etiam monstratum illi Deum ac eius doctrinam revera, quantumvis id nonnunquam dissimulat aut etiam ipsemet ignorat ridentem ac contemnentem, et contra idololatrias erroresque alacriter comprobantem. Ibi etiam esse voluntatem, non tantum non amantem, (535) sed etiam extremo odio prosequentem, ac detestantem Deum, eiusque voluntatem, seque et sua commoda nulla Dei ratione habita admirantem, quaerentem ac colentem.

Quae vero maior pestis perniciesque hominis excogitari potest, quam cum ipso vero ac vivente Deo cum quo ei summa coniunctio esse debebat belligerare? Sic philosophia, omnisque summa carnis sapientia et virtus miserum hominem a fugacibus ac pene inutilibus istis huius vitae bonis abstractum, ad summum atrocissimumque hostem, extremaeque perniciei authorem aut fontem, videlicet ad corruptissimam mentem ac rationem ablegat.

Hinc est, quod filius Dei multo atrocius cum sanctulis istis, in animi sui dotibus felicitatem quaerentibus digladietur, quam cum voluptuariis, avaris, aut aliis hominibus qui crassioribus vitiis indulgent. Hinc etiam est quod exclamat: Meretrices et publicanos praeventuros in regnum coelorum sapientulos ac sanctulos istos mundi huius.

Decimo, ignorat ratio ac omnis humana sapientia, suos summos, atrocissimosque hostes: videlicet propriam iniusticiam aut peccatum, iram Dei, aut legem et satanam. Quare neque vera ac salutaria remedia contra quaerit, aut adhibet: ideoque etiam tandem in eorum carcere cathenisque computrescit ac interit. Sicut Dominus saepe seduloque Iudaeis inculcat, inquit: Quia dicitis, videmus, ideo peccatum vestrum manet vobis. Si non credideritis, in peccatis vestris moriemini.

Undecimo, de futura vita, deque felicitate iustorum, et aeterno exitio malorum, nihil humana sapientia certi compertique habet. Quare nec ad eam vitam recte agendam sese comparat, tantum de praesenti hac sollicita. Incautos igitur, imparatosque et aliud agentes ac

somniantes, obruit mors, ad iudicium Dei, et ex hac mortali vita in illam aeternam domum, recepturos dignam pro anteacta vita poenam, abripit, et veluti contorquet.

Duodecimo, resurrectionem corporum ignorat, vel potius pernegat suis quibusdam phantasmatis aut sophismatibus fascinata putat enim, ut semel in terram resoluta sunt, ita perpetuo esse mansura abolita, non aliter ac pecudum aut plantarum.

Denique nec communium malorum ac bonorum, eorumque usus, verum aliquem utilemque delectum habere potest homo, sed plerumque aut noxia prae salutaribus eligit, aut etiam ita bonis salutaribusque rebus male abutitur, ut non queant illi non esse noxiae ac perniciosae. Questi sunt de hac re etiam ethnici scriptores, ut praeclare Iuvenalis 10. Satyra scribit, inquit:

*Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque  
(536) Auroram et Gangem, pauci dignoscere possunt  
Vera bona, atque illis multum diversa, remota  
Erroris nebula, quod enim ratione timemus,  
Aut cupimus, etc.*

Hasce igitur tantas res ignorat homo, quantumvis ingenii aut sapientiae praestantia praecellat, sicut praeclare D. Paulus inquit: Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei. Stulticia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter diiudicantur. Quis enim cognovit mentem Domini, et quis consilium dedit illi. Praeclare igitur ac vere psalmista et apostolus exclamant: Novit Dominus cogitationes hominum, quod vanae sint. Et Esaia eas tum velis aranearum, tum ovis basilisci comparat, pronuncians eas aut vanissimas, aut etiam pestilentissimas esse.

Tantarum igitur rerum ad Deum, suamque salutem pertinentium noticia cum destituatur homo, mirum non est, quod aeternam felicitatem consequi nequeat, sed in tenebris suis et umbra mortis, in qua natus est, in aeternum, quantum in se est, haereat ac pereat. Atque haec de prima parte huius Paulinae sententiae dixisse sufficiat.

Quod ad secundam attinet, qua indicatur, Deum, viso longe tristissimo humani generis casu ac exitio, misertum esse eius pro sua immensa misericordia, novumque quoddam genus doctrinae, et a legali diversissimum, novam salutis rationem, novamque quandam sapientiam reperisse, et mundo proposuisse, ea pars quia et nota est Dei singulari beneficio hoc tempore, ut facile a quovis cum hisce aliis duabus conferri possit, et maius aliquod spacium, quam ferant praesentis temporis et theatri angustiae flagitat, intacta iam a me, inexplicataque pertransibitur. Ubi enim monstravero antedictis, et postea dicendis, quantopere humana sapientia divinae adversetur, facile utriusque collatio naturaque perspicietur.

Tertiam igitur partem propositae sententiae, brevius multo quam primam, percurremus. In ea vero affirmatur, quod humana ratio ac sapientia, non tantum illum primum modum ac viam cognoscendi Deum per ipsius sapientiam, consequendaeque ab eo felicitatis non sit assecuta, sed etiam hanc posteriorem, novo quodam Dei consilio, singulari eius misericordia humano generi oblatam, et multis



mirandisque testimoniis ac miraculis confirmatam, contemnat, odio habeat, et fugiat sicut praeclare Ioannes dicit, lucem quidem coelestem venisse ad nostras tenebras, sed nos eam non comprehendisse, quin potius magis tenebras quam lucem dilexisse. Merito igitur monet nos D. Paulus ad Col. 2. ut sedulo videamus ac caveamus, ne per philosophiam decipiamur.

**(537)** Scio quidem hanc orationem propter multas causas non adeo gratam esse, praesertim autem, quia a ratione iudicioque humano plane est aliena. Quin et in ipsis sacris literis, quae a Spiritu Dei citra omnem contraversiam profectae sunt, nullus scriptor, post ipsum servatorem, perinde hoc monstrum in corde hominis sedens depingit, ut Paulus, nec quisquam inter omnes patres, totque clarissima nostrae aetatis lumina, perinde ut Lutherus, qui toties inculcat, humanam rationem ac sapientiam atrocissimam Dei inimicam, semenque omnium errorum esse.

Valde significans est illud epiphonema Ioannis: At ipse Iesus non credebat se illis. Sciebat enim quid esset in homine. Quo dicto sicut et eo quod Deus scrutator cordium vocat, cognitio humanae corruptionis prorsus pro divina quadam solive Deo propria sapientia habetur ac pronunciat.

Quod sane confirmat etiam ista ipsa stupenda raritas theologorum, qui hanc humanae perversitatis pestem diligentius tractaverint. Benigne ergo patienterque cognoscant pii hanc mysticam Dei doctrinam, de immensa nostrae carnalis sapientiae perversitate, scientes, in hac fontem originemque verae theologiae situm esse.

1. Damnat ergo ridetque humana sapientia et ratio, omnesque philosophi in primitiva Ecclesia damnarunt christianam doctrinam. Primum, ut dictum est, in articulo unitatis Dei, Trinitatisque personarum divinarum. Quam illa, ex ipsa noticia numerorum, sibimet contradicere iudicat, quod unum et tria prorsus differre, nemo sanus dubitare queat. Nos tamen veraci Deo etiam credimus, quorum ratio nobis constare non potest, et in tantis mysteriis, ea optime ac concinnissime Dei iudicio convenire, quae nostrae caecitati sibi invicem adversari videntur, non dubitamus.

2. Ridiculum et falsum esse iudicat humana ratio ac sapientia, quod doctrina Ecclesiae docet, filium Dei semetipsum humiliasse, ac exinanivisse, factumque esse hominem nostri gratia, et tot molestias, ac denique etiam ipsam mortem perpessum. Non enim putat convenire tantae maiestati, ut quasi neglecta sua felicitate, hominis causa adeo se demittat, et in tot ingentes molestias immergat. Non etiam fieri posse, ut divina infinita et immortalis natura, cum humana finita et mortali in unam personam coeat, uniaturque. Quod beatum felixque est (inquit philosophia) id nec ipsum aliquam molestiam patitur, nec etiam aliis exhibet.

3. Falsissimum et illud esse humana sapientia iudicat, quod dicimus ac docemus, iusticiae ac legis Dei tantam severitatem esse, ut perfectissimam quandam iusticiam obedientiae flagitet, quae ex toto corde, totaque anima, **(538)** ac omnibus viribus summa integritate perfectioneque absolvatur, nec unquam vel minima ex parte imminuta, claudicans, mancave appareat.

Existimat ea, satis perfectum divinaeque iusticiae ac legi satis faciens officium, iusticiamque hominis eam esse, quam haec afflicta homini natura, si modo sedulo conetur adiuveturque, praestare queat. Nullam enim omnino legem, a iusto quidem iudice (qualem Deum esse sit verisimile) et non tyranno propositam, impossibilem esse debere. Quid enim ea attineat praecipere, quae a mortali homine omnino praestari nequeant? Hoc quidem videri esse, non obedientiam, sed poenam exitiumque hominis quaerere. Atque hic quidem error ita profunde hominum animis semper insedit, ut eum nec Christus olim Iudaeis, nec nos hoc tempore pontificiis eximere queamus.

4. Cum vero audit causam originemque mali et ataxiae in rerum natura, ex primi hominis pomum gustantis lapsum a sacris literis narrari, fabulas aniles ociosorum hominum, aut etiam poetarum figmenta nulla ex parte verisimilia, sibi confingi proponique autumat.

5. Tantum porro corruptionem haerere in summis nobilissimisque animae potentiis, intellectu et voluntate, nulla ratione sibi persuaderi patitur. Cum enim praeclaras aliquas vires, industriamque intellectus, vel in consiliis, vel in indagandis et cognoscendis pulcherrimis scientiis ac liberalibus artibus, aliisque rebus occultis, ac vitae huic utilibus, et voluntatis, in multis et praeclaris factis recte et fortiter peragendis maxima cum delectatione conspicit et contemplatur, mox non considerato ingenti subiectorum discrimine, etiam quod ad Deum resque spirituales attinet, consimiles vires sibi inesse minime dubitat.

Plurimum exagitat hunc paralogismum, non uno in loco, Prosper in suis scriptis. Non autem mirum est, id ab eo fieri, cum in oculis ac mentibus omnium maximum errorem hoc sophisma pariat. Exagitat et Socrates sui temporis artifices excellentiores, consimilis hallucinationis nomine, aliquoties repetens, praestantes pictores, sculptores, poetas, musicos, architectos, et similes artifices existimare, ac secum ratiocinari, quod, quoniam eximia quaedam norint, plurimumque omnes alios mortales in eis rebus antecellant, igitur se etiam in omnibus aliis artibus et dotibus caeteros (ac si quidam semidii essent) longissime anteire.

Conspicius simul et celebris est in hoc genere paralogismus Scoti, eiusque farinae sodalium, qui ratiocinantur, omne obiectum, quanto sit illustrius, tanto magis movere sensus et affectus nostros, et omne excellentius bonum, magis a nobis amari. Igitur Deum, qui sit summum hominis obiectum aut bonum, summe perfectissimeque ab homine diligi posse. Valeret autem sane haec ratiocinatio, si eiusdem generis obiecta (539) bonaque essent, et non in infinitum diversa. Nam et foenerator maius lucrum avidius expetit, et gulosus suaviores delicias, et nemo non mortem, ut omnium malorum terribilissimum, prae aliis corporis malis exhorret. Sed in diversis bonorum generibus, sicut Aesopicus ille gallus hordei granum unicum multis gemmis praefert, ita et terrenus animalisve homo, quae de terra sunt cogitat et respicit, quae autem Spiritus sunt, nec percipit, nec percipere potest, sed ut res stultas, inanes, aut etiam noxias, superbe contemnit et odit.

Atque ista humanae sapientiae ratiocinatio non tantum ethnicis philosophis, sed et christianis theologis imposuit, ut plerique omnes

originalis morbi maliciam extenuarint, et contra, vires liberi arbitrii rationisque amplificaverint, et praedicaverint, et adhuc praedicent hodierna die, neglectis evidentissimis verbi Dei testimoniis.

Isti sane sunt duo primarii fontes erroris eorum, qui sua dignitate virtutibusque iusticiae laudem palmamque coram Deo affectant, et in coelum subvolare nituntur, et contra gratuitam iusticiam detestantur, quod videlicet tum veram vim severitatemque legis, perfectissimam iusticiam a nobis flagitantis, tum contra ineffabilem corruptionem humanae naturae ignorant, animoque concipere nequaquam queunt.

6. Reliquam quoque vim mali, homini incumbentis, ut est reatus aut iniusticia, ira Dei, et satan, philosophia partim non credit, partim extenuat, eaque quae de illis sacrae literae dicunt, pro falsis, aut certe pro hyperbolicis exaggerationibus habet, ac floccipendit.

7. Ut vero maxime tali aliquo modo ac pestibus istis premeretur homo, illud tamen ratio plane iniustum, ac Deo inconueniens esse existimat, ut alius eius causa puniatur, et vel nostra iniusticia, culpa ac poena alii alicui imputetur, aut irrogetur, vel etiam aliena iusticia virtus ac praemium in nos transcribatur.

Unumquemque enim suam culpam ferre ac luere, et sua virtute et iusticia florere ac sublevari debere, omnino pro immota veritatis lege habet. Extreme igitur ei ridiculum est, quod Ecclesia docet, nostram quidem culpam imputatione tantum, poenam vero etiam reipsa in filium Dei translata esse, et vicissim iusticiam quidem aut meritum Christi in nos imputatione sola, praemium vero seu felicitatem reipsa a Deo transscriptam esse.

Imponit igitur nobis, intricat et proturbat hic philosophia ac humana ratio multa horribiliter quidem et tamen insidiosae, etiam cum eam longissime abesse, et veluti flagris abactam esse ipsemet doctor aut scriptor, de hisce rebus agens et meditans, arbitratur. Mille ergo quotidie diverticula errorum, extra veram salutaremque iusticiae ac salutis viam (540) quoquo modo admixtis bonis operibus reperiuntur, adeo vera doctrina in hoc articulo humanae menti cogitationibusque displicet ac sordet, eaque semper aliquid suo palato sapidius quaerit, et sibimet coquit.

8. In effectione etiam virtutis rectarumque actionum, philosophia contemnit Ecclesiae doctrinam, quae coelitus a Deo per et propter Christum deducit Spiritum sanctum, efficaciter tum verbo tum sacramentis Dei corda nostra purgantem, et ad bona opera omnemque virtutem refingentem. Ad suam enim illa bonorum habituum extructionem, et ex natura idonea, doctrina sana, crebris rectisque actionibus, tanquam ad unicum omnis virtutis iusticiaeque fontem, neglectis contemptisque aliis omnibus, ingenti studio festinans properat. Tota enim ista cordis humani per Spiritum sanctum regeneratio, refectio aut, refusio, vel etiam (ut scriptura loquitur) excisio cordis lapidei, et conditio novi, est homini ac rationi peregrinae obscura et absurda. Quod vel Nicodemi exemplum et sermo plane testatur.

9. Sicut autem ex crebris rectisque actionibus bonos habitus ac virtutes philosophia (sua quidem opinione) eduxit, ita porro veram

felicitatem ex praeclaris factis ac virtutibus, nihil plane de eventu desperans, producere omnino conatur, nec putat causam ullam esse, cur bona opera facienda sint, aut ullum omnino virtutum studium suscipiendum, si per ea beati ac felices non efficiamur. Hinc tot errores variorum seductorum, quorum alii aliter etiam in Ecclesia vera felicitatem ad bona opera alligare, ad eamque illa esse necessaria, omnibus persuadere conantur, nec hanc sine illis, aut absque causa sine qua non, consistere posse volunt ac contendunt.

Quoniam enim, verbo Spirituque Dei victi ac convicti et quodam piorum consensu absterriti, non audent, uti quidem ratio eorum philosophiaque cuperet, totam iusticiam ac salutem virtuti operibusque tribuere, veluti secunda quadam navigatione id agunt, ut saltem in aliqua eius parte sua somnia haerere, et quoquo modo bona opera admiscere iusticiae ac saluti nostrae per solum Christum partae queant. Quo effecto, vel hoc ipsum modicum pharisaici fermenti paulatim totam massam inficit. Quod admodum crebro, pleneque ac prolixè Lutherus p.m. in suis scriptis, praesertim autem in luculentissimo commentario ad Galatas, explicat ac inculcat.

10. Quae vero dicuntur de peccato remanente sanctis, eorumque perpetua imbecillitate, imo et de lucta inter carnem et spiritum, novum ac veterem hominem, in uno hoc iam ad meliorem frugem converso homine, deque perpetua peccatorum condonatione, philosophia ac ratio ut (541) vanissimum commentum ridet. Inde enim est, quod pontificii negant ea vere esse peccata, quae tanquam languor quidam, aut etiam radix morbi adhuc in sanctis supersunt, eosque plene legi Dei satisfacere posse, et plurimos id etiam reipsa praestitisse et adhuc praestare somniant, ac contra veritatem vesane vociferantur.

11. Porro quia ignorat philosophia tum magnitudinem erroris ac caecitatis humanae, tum et hostilitatem ac potentiam satanae, perpetuo indesinenterque nobis insidiantis, ideo, neque perpetuis contra vigiliis aut excubatione, neque perpetua Dei imploratione, et solius verbi in rebus religionis auscultatione opus nobis tantopere esse cernere potest, ut ministri Christi importune vociferentur, quin potius haec pro supervacaneis ac inutilibus censet.

12. In omnibus sane obscuris causis, dubiisque etiam religionis rebus philosophia et omnis humana sapientia, se quoque omnino audiri ac consuli, tanquam minime caecam ducem, aequum esse censet et flagitat. Quin potius ipsa plerunque se magistram, et quasi correctricem absurditatum Scripturae et theologorum, audacter constituit, omnia ad scopum a se propositum scite artificioseque applicat, et conferruminat. Ut exempli gratia, cum Christus dicit: Nemo venit ad me nisi pater traxerit eum, illa addit: Qui trahit, volentem trahit, cum trahi proprie inviti, non volentes dicantur, ut Christus, philosophia magistra dicere debuisset, nisi pater duxerit eum. Cum scriptura dicit: Iustificamur gratis sine operibus addit illa, scilicet ceremonialibus, aut etiam novo nunc fuco: Sine operibus scilicet merentibus, aut causae instar habentibus, sed non omnino sine operibus. Sic cum Christus dicit: Hoc est corpus meum, corrigit: Id est, signum, figura, typus corporis.

13. Cum philosophi Athenienses audirent Paulum asserentem resurrectionem mortuorum, ridebant eum, ut vanissimas nugas futiliter blaterantem, ac spermologon vocitabant, ut qui nec Aristotelicum acumen, eruditamque de rebus obscuris disputationem afferrent, nec Platonis copiam aut maiestatem sermonis, nec Isocraticos numeros, aut orationis concinnitatem suo horridiori sermone exprimeret. Nec illis tantum philosophis, sed et iis qui postea fuerunt, atque adeo etiam nostrae tempestatis, praesertim apud exteros, risus ac fabula est mortuorum resurrectio. Habent etiam, ut ipsis videtur, sui erroris demonstrationes. Aiunt enim, nullum individuum esse perpetuum, et omne quod gignatur, praesertim ex elementari materia, id etiam interire necessario. Ad quae sophismata non difficile esset respondere, si tempus locusque ferret.

14. Inferos aeternosque damnatorum cruciatus philosophia non credit, (542) quod satis Cicero de sua aliorumque sententia in prima Tusculana demonstrat. Dicit enim philosophos affirmare, se physica doctrina a metu ac terroribus inferorum et futurorum suppliciorum liberari. Quod et Pythagoras teste Ovidio docuit, inquit enim:

*O genus attonitum gelidae formidine mortis,  
Quid Styga quid tenebras et nomina vana timetis.  
Materiem vatum, falsique pericula mundi?  
Corpora sive rogos flamma, seu tabe vetustas,  
Abstulit mala posse pati non ulla putetis.*

Quo fixo ac certo constituto nempe sublatis inferis et resurrectione, necesse est totam veram religionem corrumpere.

Paulus praedicat divinam doctrinam sapientiamque, quod etiam profunda Dei scrutetur, et non ignoret satanae consilia. At philosophia et ratio adeo non novit profunda Dei, et occulta satanae consilia, ut etiam ipsos, an omnino sint, ignoret, ac dubitet, vel potius nullos esse alios mundi gubernatores, praeter istam suam caecam brutamque naturam, quam perpetuo in ore habet, certo statuit. Atqui istorum duorum regum perpetuo inter se bellantium regimine totus mundus agitur, turbatur, vastatur, aut conservatur. Quomodo ergo potest philosophia ignorata tanta re homini veram officii sui, recteque ac beate vivendi rationem praescribere?

In doctrina de cruce, omnibusque hominum calamitatibus, sive causas tantarum difficultatum spectes, sive naturam tantorum malorum sive denique summa ac solida remedia, talpa caecior est philosophia. Nam nec cur homines, praesertim boni, ita premantur ac crucientur, neque an illa incommoda vere mali dici debeant dicere potest, nec quomodo aut unde tantis morbis vera solidaque remedia petenda sint novit. Dicit quidem aliquid de proximis causis, accusat hominum cupiditates, pravos impetus, ac stulticiam, sed unde istorum ipsorum malorum fons sit ignorat. Ad fabulas igitur tantum ridens, ut res inextricabiles reiicit. Verisimile autem sane est, fabulam vasis Pandora ex historia lapsus mulieris originem suam habuisse. Sic et remedia parum firma adhibet, de quibus vere dicit Christus: Qui ex hac aqua bibit, sitiet iterum, sed qui biberit ex aqua quam ego do ei, non sitiet in aeternum. Sola igitur theologia veras malorum, et praesertim crucis piorum causas, veraque remedia monstrat.

15. Quin nec in huius quidem communis vitae miseriis, ad quam rectius aptiusque agendam vel praecipue comparata esse omnis humana sapientia videtur, satis nobis semper utilis, aut etiam tolerabilis est. Nam in **(543)** rebus adversis, cruce, et omnibus gravioribus difficultatibus, nos nostra ratio et philosophia a Deo seu prima causa abstrahit, et ad secundas deducit, indeque opem petere iubet. Quae si nos destituant, recta nos in laqueos desperationis et exitii coniicit, ut Philippum in sua illa erudita supputatione a Christo abstrahit ad 200. denarios et quinque panes, cumque illi non reperirentur, in ipsissimam desperationem eum praecipitat.

Nec patitur nos a rebus humanis, vel destituentibus nos, vel etiam perdentibus attollere oculos et cor ad illum solum coelestem et omnipotentem Patrem, qui est unicus sufficientissimusque opitulor in omni difficultate ac tribulatione.

Non solum vero nos abstrahit humana sapientia a Deo ad causas secundas, sed et non raro inimicos Dei facit, eique opponit, quo tantum causas secundas propitias habeamus, sicut hoc tempore Antichristi, monarcharum, et aliorum religionis verae hostium favor, pax ac salus maxima, quadam carnis sapientia quaesita et petita est, cum religionis foedissima corruptione. Ut taceam interim quotidiana ista, ubi sapientissimi mundi homines, ob commoda huius vitae, Deum negligunt, ac gravissime offendunt, pluris secundas, quam primam causam, facientes.

De morte ac morbis cum dicendum est, mox recurrit philosophia ad materiae naturalium corporum fluxibilitatem. At ignorat, unde id factum est, ut hominis vita ac materia perinde sit fluxibilis et inconstans, sicut brutorum, herbarum, aut fructuum. Nec enim satis est, tantum respicere ad elementa, ex quibus homo compositus sit, cum et homines initio fuerint longaevissimi, ac nostris istis perpetuis molestiis morbisque carentes, et nunc sint adhuc multa animalia vivacissima. Quin et quotidie videmus concrecere lapides ac metalla, non aliunde quam ex elementis, in eam soliditatem ac firmitatem, ut in totam aeternitatem durare posse videantur. Non ergo satis est confugere ad illud parum firmum principium, quod omnia ex elementis concreta, sint interitui mutationibusque obnoxia. Potuit enim Deus et hominem ita creare, ut non tantum mille annos, sicut patres, sed et innumeros viveret. Nimirum ille qui omnia ex nihilo fecit, ille etiam ex elementari materia aedificium interitu carens quale vult struere potuit. Quin nec hoc quidem certe statuere philosophia potest, an mors res bona aut mala sit. Unde contra omnem sensum naturae multi philosophi mortem laudarunt. Quare sola theologia veram ac primariam causam mortis ac morborum vere monstrat. Sicut etiam docet, unde nam sit immortalitas petenda.

Quam parvi faciat, vel potius etiam ignoret ratio ac philosophia primam causam, inde apparet, quod tum constitutiones suarum **(544)** politiarum, tum et historias bellorum ac pacis ita describit, ut quae tantum in solis secundis causis pendeat, omniaque in eis sita esse somniet, sibi que persuadeat nullam ferme penitus Dei rationem habens. Hinc etiam est, quod caeca nostra ratio omnes mirabiles eventus ad secundas causas deducere ac naturae tribuere conatur.

Quod cum efficere nequit, et in aliquo haesitat, tum vero id caecae ac inconstanti cuidam deae fortunae, aut etiam casui adscribere non dubitat. Sicut Satyricus recte inquit:

*Sed te. Nos fortuna deam facimus, coeloque locamus.*

Sic stulta ratio omnes alias causas potius, quam primam, quaerere et adorare conatur.

Nec haec eo dico, quasi nihil plane conferre possit erudita noticia consideratioque rerum, a Deo mirifica sapientia, ingentique potentia ac bonitate creaturarum, ad ipsius authoris cognitionem. Dixi enim supra, et in alio libro, de Pauli sententia, creaturas quidem nobis Deum ante oculos pingere, ac veluti coram palpandum exhibere, sed nostri non intelligentis cordis, ut id Paulus vocat, culpa fieri, ut in cogitationibus nostris evanescamus, verusque Deus sit, maneatque nobis ignotus Deus.

Si homo in prima illa feliceque integritate permansisset, omnino eius creaturam consideratio aut philosophia non ita multum diversa fuisset a theologia. Nunquam enim ille ullam creaturam considerasset, eave usus fuisset, quin semper eius authorem aut artificem una admiratus fuisse, et cernuus adorasset.

Nunc vero postquam ratio nostra adeo foede corrupta, distorta ac depravata est, ut ratiocinando non ad veritatem coelestem ascendamus, sed in errorum potius barathrum praecipitemur, solum dilectum Dei filium, ac eius verbum in rebus divinis, repressa ratione, et clausis (ut dicitur) oculis sedulo audiamus, ac religiose sequamur, ut unicum praeceptorem coelitus nobis propositum, quem nos seducere sit impossibile.

Hinc igitur tertiae partis huius Paulini dicti sensus animadverti potest, cum ille hic et in sequenti capite dicat, doctrinam coelestem, praesertim de Christo, eiusque officio, et vicinis capitibus, humanae sapientiae extremam stulticiam ac scandalum videri, et simul consideretur cur tam sedulo Colossenses, atque adeo omnes christianos moneat, ne se vel per philosophiam, vel per inanem imposturam decipi, seducique patiantur. Duae enim pestes tunc Ecclesiam Dei, veramque religionem potissimum affligebant. Hinc quidem iudaicae caeremoniae, patrumque traditiones, quae apostolus inanem imposturam vocat, inde vero philosophorum eruditae disputationes, infestae veritati imminebant.

Duplices vero erant illi philosophici seductores partim aperti hostes, partim conversi. Partim enim qui erant manifesti hostes, illi christianae (545) religionis simplicitatem non tantum ut nimium rudem, sed etiam ab ipso communi sensu alienam irridebant, aut traducebant. Ubique evidentes rationi sensibusque demonstrationes flagitabant, non contenti illa quae unica forma in sacris literis proponitur, Neum, Iehova, verax Deus haec dixit, sed suas in speciem verisimiles ac plausibiles contra opponebant, illisque pusillorum Christi mentes perturbabant, et veritatem christianae religionis suspectam reddebant.

Denique qui philosophi aut eruditi homines erant conversi ad religionem christianam, illi eam suis philosophicis fermentis adulterabant, partim quia adferebant iam antea imbibitas regulas

philosophiae, ac veluti viciatum palatum ac gustum ad iudicandam docendamque theologiam, partim etiam quod eam, ut homines eloquentes, ad communes sententias, ac hominum suae aetatis captum attemperare, ethnicis philosophis calumniandi occasionem adimere, plausibilioremque quo a pluribus acciperetur, largiusque spargeretur, efficere conabantur.

Mox igitur post Christi et apostolorum tempora, doctrina Euangelii ab audaci hominum garrulitate aut (ut ita dicam) linguacitate, ferme in ethicam Aristotelis aut Socratis, seu in legalem quandam doctrinam (ut ex Iustino et Clemente videre licet) conversa est. Talis ergo corruptio tum ab externis hostibus, tum etiam ab internis, tunc adhibebatur.

Postea vero, cum Christi veritas orbem terrarum devicisse, sibique subiecisse videretur, tantum a domesticis haec impostura adhibita est, praesertim vero recentioribus temporibus, cum scholastici propalam confusum quoddam samariticumque chaos ex theologia ac philosophia constarunt, Ecclesiaeque Dei obtruserunt: Quo quidem perniciosi, proh dolor et proh pudor etiam nunc proni proclivesque ruimus.

Optimo ergo iure olim vetustissimi patres dixerunt, philosophos esse haeticorum patres, aut patriarchas. Viderunt enim, qui fuerunt oculatiores, ex ratione humana, sapientia, et eruditorum ethnicorum dogmatibus omnes errores ac seductores in Ecclesia profluere, ac plerique sane olim haesiarchiae, simul etiam eruditissimi philosophi fuerunt.

Nec male huc etiam illud Socratis ex Apologia quadrat, qui post Thaletem, omnem humanam sapientiam vel parvi, vel etiam nullius momenti esse, solumque Deum sapere, et Aristotelis, qui affirmat, nos non aliter ad claram veritatis lucem caecutire, ac vespertiones ad fulgorem meridianum. Si enim tanta est humanae naturae in communibus rebus caecitas, quid satis cogitari et dici poterit de eius lippitudine, caecutientia, ac errore in rebus ac dogmatibus divinis?

**(546)** Hisce iam breviter perstringere volui, in quibus nam partibus, et qua ratione omnis humana sapientia offendatur doctrina Euangelii, ut nimium stulta ac insipida: eamque vel penitus tollere ac evertere, vel certe corrigere ac emendare conetur.

Dicendum hic fuisset de eiusdem variis imposturis in tota pii hominis vita, ubi illa eum a norma aut lucerna verbi ad suas tenebras abstrahat.

Dicendum quoque esset de eius importunitate, ac pestilitate in omnis generis crucis tentationibus, ac spiritualibus certaminibus, ubi ea nobis labores ac dolores valde auget, de quibus David queritur Psal. 13. et 42. inquit: Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Et: Quousque ponam consilia in anima mea, et laborem in corde tota die? Verum de hac eius posteriore noxia et malignitate, passim Lutherus p.m. in suis scriptis, praesertim ad Galatas et in Genesin prolixè disserit.

Dicendum item fuisset de efficacia diaboli, qui non aliter ac olim per mulierem primum nostrum patrem evertit, etiam nunc omnes



pios per rationem ac sapientiam humanam oppugnat, ut eam Lutherus non immerito scortum satanae vocare sit solitus.

Denique iterum me hic atque iterum testari ac protestari oporteret, non eo me haec disserere, quod pulcherrima ac utilissima philosophiae, logicae, physicae, ac ethicae studia negligenda, aut per sese suaque natura perniciosa esse censeam, sed tantum, quod sola coelestis doctrina, vitae christiani hominis summa ars et architectonica scientia, seu quae omnes alias regat, esse debeat. Verum brevitatis temporis me impedit, et sententia mea aliqui satis superque nota compertaque est.

Exponitur vero usus et abusus philosophiae subinde ab aliis viris longe doctissimis, qui eam profitentur. Illud nihilominus apophthegma Lutheri sit in animis atque ore piorum, omnium praesertim studiosorum. Qui vult sapiens fieri in Aristotele et philosophia, ille stultificetur prius in Christo et sana theologia. Et Pauli: Stulti fiatis, ut sapientes evadatis. Et Christi: Nisi fueritis conversi, et fiatis ut pueri, non intrabitis in regnum coelorum.

Haec iam de hoc Pauli dicto praefari volui, propter plures causas. Primum et ante omnia, ut rudiores, meque ipsum admonerem de extrema humanae rationis adynamia, vel potius atroci perversitate in rebus divinis, religionisque, et ut summa diligentia theologiam a philosophia, non solum in doctrina, sed etiam prorsus in omni vita, cogitatione ac consultatione distinguamus. Nec ullo modo philosophicas cogitationes, opiniones aut somnia in rebus divinis sequamur.

Quae admonitio ideo hoc tempore utilis necessariaque est, quod quidam homines rationi ac libero arbitrio nimium omnino tribuunt, et (547) ex philosophiae ignitabulo coelestis cognitionis lumen accendere conantur, cum sit unicus tantum sol Dei filius, Dominus noster Iesus Christus, de cuius plenitudine omnes, siquidem aliquid habere volumus, omissis damnatisque istis adulterinis pateliis accipere necesse habemus. Alioqui tenebrae natura sumus, et in aeternum erimus, ac permanebimus.

Altera meae huius orationis causa est, ut monstratis, ac nonnihil explicatis ingentibus opibus unici dicti Pauli, qualis et quantus sit totus eius reliquus thesaurus, omnibus expendendum proponerem, iuventutemque ea ratione ad Paulinae theologiae studium invitarem.

Cognoscite hinc etiam trium praecipuarum, spiritualiumque monarchiarum, quae iam in mundo sunt, discrimen. Primum enim regnum ita Deus condidit, ut sicut ipse sapiens, bonus ac omnipotens est, ita omnia sapientissime condita, distributa, perfecta, exornataque essent, et ubique in tota rerum natura sapientiae, bonitatis, ac omnipotentiae eius admirabile lumen resplenderet. Idem quoque suae sapientiae igniculum aliquem etiam homini indidit, dum scilicet eum sua admirabili imagine exornavit, et illustravit. Ea igitur homini donata sapientia, aut imagine, voluit tunc Deus se per suam sapientiam in toto mundo relucentem agnosci, apprehendi, et coli.

Sed satan, erecto suo regno, captivatoque homine, radium divinae sapientiae aut imaginis in homine existentem, non tantum

obscuravit, sed etiam ita corrumpit, distortumque ac perversum effecit, ut (sicut Paulus inquit) eius non intelligens cor in suis cogitationibus et veritatis accuratis inquisitionibus in extremas tandem vanitates erumperet, et in foedissimos errores hominem immergeret.

Verum Deus misertus humani generis, volensque suum regnum instaurare, non amplius per admirabilem illam sapientiam id tentavit, sed per novam quandam, et mundo et satanae stultam rationem aut doctrinam. Hinc igitur exoritur perpetuum certamen et *aspoudios polemos* inter regnum Christi et satanae, non tantum in diversis hominibus, piis et impiis, sed etiam in uno eodemque pio, dum caro concupiscit contra spiritum, et vicissim spiritus contra carnem.

Perpetuum sane est inter istos duos Adamos certamen, acerrimaque disceptatio, in uno hoc misero homuncione. Plerunque in rebus difficilibus ac dubiis, sive noticias sive actiones attingentibus, quae spiritui novoque homini verbum Dei sequenti probantur, ea rationi improbantur, uterque in suam quandam viam, studia ac vitam, totum hominem veluti captivum abripere conatur, non aliter ac cum duo equi aut boves in uno iugo existentes ita inter sese tristi *zygomahia* dissident, ut alter antrorsum, (548) alter vero retrorsum curram pertrahere conetur. Quam civilis belli (ut hoc malum Augustinus vocat) faciem rationemve Paulus Rom. 7. et Gal. 5. prolixius in semetipso describit.

In hac igitur longe tristissima *zygomahia* ne patiamur vincere ac regnare veterem nostrum Adamum, quo post satanam nullus est atrocior ac perniciosior nobis hostis, quantumvis mirificam quandam erga nos benevolentiam simulet, omniaque tantum nostri causa cogitare, agere et conari, videri cupiat.

Deponamus ergo, mortificemus, ac circumcidamus carnis aut veteris nostri Adami, seu rationis ac liberi arbitrii sapientiam, renovemur spiritu mentis nostrae, omnesque sensus, rationes, cogitationes ac vires nostras in obsequium Deo iuxta verbum eius redigamus, neque secus ac inobedientia et contumacia quaedam mancipia, carcere cathenisque cohibeamus, et constringamus.

Domini autem Spiritus nos, praelucente verbo, in omnem veritatem deducet, nostrasque imbecillitates sublevabit, usque ad diem plenae renovationis ac illuminationis nostrae. Quod ut feliciter usque in finem perficiatur, omnes ex animo Deum per et propter filium eius toto pectore orabimus et obsecrabimus. Amen.

**Priredio Ivan Kordić**